

V
B
J
C

VICTRIX
NOVORUM ERRORUM
ANTIQUA VERITAS

EXHIBITA

USITATIS PER QUADRAGESIMAE DOMINICAS SUB HORAM IV. VESPERTINAM SACRIS MEDITATIONIBUS, IN ORATORIO ALMAE CONGREGATIONIS LATINAE MAJORIS ERECTAE IN COLLEGIO ACADEMICO UNIVERSITATIS VRATISLAVIENSIS. ANNO POST CHRISTUM NATUM M. DCC. XCVII.

Cum Ordinarii Approbatione.

VRATISLAVIAE,

TYPIS UNIVERSITATIS 1798.



Dominica prima.

Meditatio prima.

Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Epist. 2. S. Pauli ad Timoth. 4. Cap.

Tanta est mentis humanæ inconstantia, ut vix quidquam constans esse patiatur. Lætatur aliquamdiu veritatis cognitione; mox tamen veritate veluti satiata, ejusdemque fastidio correpta, ad contrarium veritati errorem transit. Sed et hujus tædio paulo post affecta, novi aliquid comminiscitur, quo, quanto in-

solentius, fuerit, tanto magis delectatur. Verum et novum illud commentum itidem non fert ætatem; aliud in ejus locum succedit; huic iterum aliud, ita quidem: ut insatiabili hac rerum opinionumque novarum cupiditate mens humana exagitata, huc illuc velutì discurrens nunquam, et nuspiam stabili loco immoretur, et nec veritati nec errori diu acquiescat. Nisi limitata naturæ suæ vi prohiberetur, futurum fuisse ego nullus dubito, ut inconſtans adeo, et novitatis studiosa mens humana totam rerum omnium naturam jam pridem vertisset. Hoc ſaltem in votis habere satis ſuperque demonstravit. Quanquam enim ipsam rerum naturam immutare non poſſit, tamen alia rebus, et contraria earundem naturæ imposuit nomina, errorem veritatis titulo condecorando. Quanta ſit ingenii humani in fingendis chimæris fæcunditas, nulla e re magis, quam ex opinionum humanarum hiſtoria elucescit. Quis noſtrum eheu! ad incredibilem plane hanc opinionum et multitudinem, et perpetuam viciſſitudinem non obſtupescat! — Quis enumerare poſſit tot philosophorum ſectas, quarum ſingulæ

gulæ, ut, quod res eſt, dicam, non veritatis, ſed novitatis ſtudio, et originem, et ætatem, per quam viguerunt, debent. Singularum auctoribus *imitatorum ſervum pecus*, ut cum Poeta loquar, et imperita multitudo acclamabat, et novam ¦ ſcilicet lucem ſibi gratulabatur. Mox tamen mutata ſententia, quem paulo ante tanquam lucis auctorem, et numeris omnibus abſolutum veritatis magiſtrum ad cælos extulerat, cum non exigua novi magiſtri, et novæ doctrinæ ignominia deserebat, ut ad recentioris cujusdam, & magis ingeniosi partus parentem converteretur, eodem quo ſequebatur, cæco impetu, paulo poſt ab illo defectura. — Errorum auctores persuasi ab hominibus veritatem antiquam ut plurimum faſtidiri, eosdemque errorum novitate magnopere delectari, hoc novitatis ſtudio, quo homines ducuntur, nullo non tempore abusi fuerunt, ad aliquam nomini suo famam, et celebritatem conciliandam. Qua de causa toti quanti in id incubuerunt: ut novas in medium proferrent opiniones, atque ſententias, quas noverant, quanto eſſent insolentiores, tanto quoque futuras certis præſertim ingeni-

is acceptiores. Omni ſtudio eapropter in eo versati sunt, ut res luce meridiana clariores tenebris involverent, probe gnari: dari multos, qui, ut verbis ipsius Servatoris in Evangel. S. Joannis 3. Cap. utar, *magis dilexerunt tenebras, quam lucem* Omnem idcirco ingenii sui vim in idintenderunt: ut nova procuderent in res certissimas dubia; novos nondum visos in lucem ederent partus, aut saltem veterum abortus in lucem protraherent; commenta jam pridem oblivioni data, et sepulta, resuscitarent, et quadam novitatis ſpecie induerent. Ecce! tot olim et hodie comminiscentium ingeniorum studia, atque conamina! Quæ cum sæpius multo jam ab hinc tempore considerarem, in mentem mihi venit percelebre illud magni gentium Doctoris Pauli in 2 ad Timoth. epist. 4 Cap. effatum: *erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabuut sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* — Quod divi Pauli effatum, etsi in omnes, quotquot omnibus retro temporibus fuerunt errorum auctores,

per-

perbene conveniat, tamen in nostræ ætatis tumida, et perturbata ingenia ad litteræ apicem convenire mihi visum semper fuit. Quantus enim, eheu! hodie datur novorum magistrorum numerus! quam multo major numerus discipulorum, qui in novorum magistrorum *verba jurarunt!* Quot sunt, qui ut ait Apostolus Paulus, *sanam doctrinam non sustinent; qui auditum suum, et animum a veritate averterunt, ad fabulas* autem, præsertim *doctas*, ut cum Apostolo Petro loquar, *conversi fuerunt!* — Displicet nimirum hodie quam plurimis *antiqua veritas*; delectat eos ex adverso *errorum novitas*. Unde fit: ut quidquid antiquitatem redolet, magnopere fastidiatur; quidquid ex adverso novitatis speciem præsefert, incredibili quadam aviditate, et *ambabus*, ut dicere solemus, *ulnis* arripiatur. Cui intemperato novitatis studio, et inepto antiquitatis fastidio, plerosque novos eosque non raro nimis monstrosos ingeniorum luxuriantium partus debemus. Quod tamen in hac mentium opinionumque vicissitudine longe maxima singulariter novum mihi videtur, istud est: rationem humanam, postquam

errorum auctoribus in divinæ revelationis subversionem vel invita satis diu inservivit, usque eo jam tandem redactam esse, ut e tenebris, quibus immersa est, haud aliter, quam ejusdem divinæ revelationis lumine emergere, nec *laboranti* alio, quam hoc auxilio superno succurri possit. Quod quidem in magnam veritatis antiquæ commendationem cedere, nemo nostrum omnium, ut opinor, est, quin fateatur. Quapropter, cum de seligendo argumento sacrarum meditationum, quibus pro pio majorum nostrorum more quotannis vacamus, tacite mecum cogitarem, hæc victrix *novorum errorum antiqua veritas*, tanti mihi videbatur, ut luculentam sane meditationum nostrarum materiem eadem contineri, ac proinde unicuivis vestrum hoc argumentum perutile non minus atque pergratum futurum, minime dubitarem. Quodsi tamen esset, cui hoc propositum meum minus probaretur, huic ego peraccommodata prorsus ad propositum meum ethnici licet Tullii sententia satisfaciam, videlicet: *ad novos casus temporum, novorum quoque consiliorum rationes accommodandæ sunt.* Nunc vero,

quis

quis nostrum nesciat tristissimos plane temporum nostrorum casus! quis impios in religionem ausus, et machinationes eorum ignoret, qui toti sunt in supplantandis fidei christianæ fundamentis, et hominum animis *per doctas fabulas* perturbandis! — Cum vestri præsertim ratio mihi habenda sit, Sodales adolescentes, litterarum, bonarumque artium Studiosi! cumque veſtra omnium, et singulorum vehementer intersit, animos vestros adversus novos errores præmuniri, ne forte errorum novitate fascinati, *a sana doctrina* deficiatis, *auditum a veritate avertatis*, et ad *doctas* ætatis nostræ *fabulas* convertamini; ego monitum illud divi Pauli ad Timoth. 2. ad eundem Epist. 4. Cap. ad me spectare exiſtimavi: *testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus; prædica verbum, inſta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia, et doctrina.* — Id, quod pro muneris mei ratione præstare satagam. Hodie in universum ostendere proposui: quanti a nobis facienda sit, et rationis, et revelationis lumine manifestata antiqua veritas. Deinde faci-

am, ut unusquisque perspiciat: quantum operæ impendant novorum errorum auctores, ad utrumque lumen, et rationis, et revelationis ex animis nostris vix non penitus delendum.

Ut igitur, quanti a nobis facienda sit manifestata cum rationis, tum revelationis lumine antiqua veritas, cognoscamus, interest ad ea advertere, quæ e veritate illa in nos redundant commoda spiritualia longe maxima. Antiqua illa veritas christiana nos certos reddit de rebus summæ pro nobis omnibus gravitatis, et ponderis, ut ita dicam, infiniti. Illa mentes nostras replet superna consolatione, nos erigit supra visibilia, et transitoria, et nos excitat ad cælestia, atque æterna. Illa animos nostros roborat et confirmat inter mortalis hujus vitæ miserias, nosque recreat certissima spe futuræ immortalitatis. Quorum, etsi aliqua naturali nostræ rationis lumini debeamus, plurima tamen divinæ revelationis lumine nobis innotuerunt. Quæ enim naturalem mentis nostræ vim superant, Dei ipsius auctoritate nixi indubitate credimus. Tenemus hunc thesaurum verbi divini in libris

bris veteris, et novi testamenti reconditum, quorum illud, quæ Deus per Patriarchas, et Prophetas locutus est, complectitur; altero autem, quod propius ad nos respicit, ea, quæ Deus *per unigenitum Filium suum Jesum Christum* nos docuit, continentur. Tenemus Evangelium, quod teste Apostolo Paulo in Epist ad Rom. 1. Cap. *virtus Dei est in salutem omni credenti.* In hoc legimus verba *veritatis, salutis, et vitæ æternæ.* In hoc ad nos loquitur, qui, ut ipse de se testatur, *via est, veritas, et vita.* Ex hoc longe excelsiora depromere licet veræ sapientiæ documenta, quam ex quantumcunque celebratis profanæ sapientiæ monumentis. Ex hoc solo repetenda sunt adversus naturæ nostræ vulnera, salutis remedia. Hic, ut verbis divi Pauli in Epist. ad Rom. 15. Cap. utar, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.* Inde discimus: quæ sit, et quam paterna Dei in nos bonitas, et quam admiranda sint divinæ sapientiæ consilia. Inde agnoscimus officiorum nostrorum omnium summam. Hic Filius æternus, quem *Pater in mundum misit, ut quæreret*

et

et salvum faceret, quod perierat, nobis succlamat: *estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* In hoc æterno Dei Filio, cui Pater cœlestis auscultare nos jussit, vivam ipsius æterni Patris imaginem, et numeris omnibus absolutum perfectionis exemplar longe augustissimum contuemur. Ille solus *verba vitæ æternæ* habet! — in hujus unius Magistri verba juremus oportet. — Vera sunt, quæ ille docuit; nova sunt et veritati ut plurimum contraria, quæ hodie in medium proferuntur. Num novitatis splendor quemquam nostrum usque adeo excæcabit: ut malit cum sæculi nostri ingeniosis opinionum novarum auctoribus errare, quam in via veritatis antiquæ cum sinceris Christi cultoribus ambulare! — Absit. Quisque nostrum multo magis monente Apostolo *in veritate Dei stabit*, nullis quibuscunque novis erroribus, et *doctis fabulis* a proposito dimovendus. Quisque læta mente, et voce concinet atque applaudet iis, quæ nunc cantabuntur. *Quæ cœli luce radias, æterna Dei veritas! eheu! incerti fluctuamus, et sine te nunc trepidamus tot inter res ambiguas. Aeterna Dei veritas, quæ sola nos illuminas, te prælucente non*

non erramus, sed tuto gressu ambulamus per vitæ hujus tenebras. Superna vi nos roboras, æterna Dei veritas! tu nos solaris, dum ploramus, et efficis, ne concidamus, ah! inter tot miserias. Aeterna Dei veritas! tu dulci spe nos recreas; post breve tempus, quo certamus, tu vocas nos, ut capessamus, æternitatis laureas! *

Dominica prima.

Meditatio secunda.

Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Epist. S. Pauli ad Rom. 1. Cap.

Hac acerbiori, ut primo obtutu videtur, Apostoli Pauli de ethnicis philosophis sententia plurimum sane veritatis continetur. Persuaserant imperitæ multitudini hi gravissimorum errorum auctores: non nisi a se veritatem teneri, et veram coli sapientiam. Vanis suis argutiis speciem profundissimæ scientiæ conciliaverant. Ingeniosis suis

* e Synopsi Meditationum.

is figmentis fucum faciebant plebi, cui, quidquid doctum est, etiam verum est, quod minime secum reputat: commentum aliquod plerumque esse tanto absurdius, quanto doctius videtur, et ingeniosius. Omni, quo poterant modo, Evangelio adversabantur, et oblatam sibi divinitus veritatem superbe repudiabant, *stultitiam* dicendo *verbum crucis*, et doctrinam Jesu Christi, ut alibi idem Apostolus testatur. Justissimis autem Dei consiliis evenit, ut manifestatam veritatem aspernando, in errores turpissimos delaberentur, et ut obscurato ipso naturali rationis humanæ lumine eorum mentes teterrimis tenebris immergerentur, ita quidem: *ut Deum, et invisibilia*, quæ docente eodem Apostolo, *a creatura mundi, et per ea, quæ facta sunt*, cognoscuntur, aut ignorarint stupide, aut temere pernegarint. Quam ob caussam Apostolus de his profanæsapientiæ ostentatoribus ita merito pronunciat: *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Inexcusabiles* et recte quidem eos Apostolus dicit propterea: quod veritatis lumine

splen-

splendente, nihilominus clausis veluti oculis, studiosa mentis cœcitate intenebris persistere maluerunt. Jam vero, edicite, quæso AA. numnon dicendum est, eandem prorsus de græcis olim Philisophis inter ethnicos Apostoli sententiam in tot nostræ ætatis philosophos, aut potius, o pudor! ethnicos inter Christianos convenire? Quid enim rerum agitur a tot errorum novorum inventoribus? — nonne et hi repudiata verbi divini veritate usque eo temeritatis et audaciæ prolapsi sunt ut lumen ipſum naturale rationis obſcurarint, et ea, quæ hoc lumine innotescunt perfricta fronte inficiari audeant? — nonne fatendum eſt: ab his — si Superis placet! Sapientibus nos horribili quadam conditione collocari, et omni certitudine exſpoliari? — Id, quod nemo facile negaverit, qui notitiam habet tot novarum doctrinarum, quibus res gravissimi plane momenti dubiis et tenebris involvuntur; tot argutiarum subtilissimarum, quibus animi improvidi totidem veluti labyrinthis implicantur. Specioso sub prætextu: nos a præconceptis opinionibus liberandi, cum his simul rapitur de rebus cer-

tis.

tissimis persuasio, et dum nimis solliciti sunt: ne quid falsi credamus, eo nos simul perducunt, ut verum rejiciamus. Quod quidem, ne quis iniquius quam verius a me dictum fuisse existimet, interest, non nisi aliqua novorum errorum, opinionumque insulsarum commenta percensere. Quam mira, ne dicam impia multorum sit de Deo sentiendi ratio, nemo nostrum est, qui nesciat. Quam novis et insolitis difficultatibus impediant viam, quæ ducit ad Dei cognitionem, nobis omnibus perſpectum est. Ea, quæ omnes omnium temporum homines vel solo naturæ rationalis lumine collustrati inter certa et perspicua semper retulerunt, nova ætatis nostræ ingenia, non modo dubia reddere conantur, et suspecta, sed et aperte tanquam inveterata, temporumque diuturnitate sacrata præjudicia perstringunt, ac omnes animi vires in id intendunt, ut nobis persuadeant: ea, quæ non sunt, esse! illa autem, quæ sunt, non esse; imo res omnes, et naturam universam incredibilem quandam subire cogunt vicissitudinem, et metamorphosim. Obstupescimus ad veterum quorundam

dam Græcorum insulsa prorsus commenta, sensui communi naturæ contraria. Num novos ingeniorum comminiscentium partus, ab iis errorum monstris, quæ e cerebro veterum philosophorum prodierunt, adeo multum discrepare putabimus? minime quidem. Subtiliora sunt nova nostræ ætatis deliria, non vero tolerabiliora. Majori acumine hodie insanitur, nec nisi post ingentia molimina acquiritur novæ sapientiæ gloria — Fabulosam illam antiquitatis Sphingem imitari mihi videtur genus quoddam novæ doctrinæ, hoc tamen cum discrimine: quod illud antiquitatis monstrum ænigmata proponebat, quorum sensus ab Oedipo penetrabatur; dum ex adverso novæ Sphingis ænigmata istiusmodi sunt: ut sensum eorum nullus Oedipus assequatur, aut si qui assecuti fuisse sibi videntur, eorumdem interpretatio novo *Oedipo conjectore opus* habeat. Quot nihilominus dantur, qui ad hoc oraculum, etsi *delphico* obscurius peregrinantur, et, quod mirum plane, oraculo vix salutato, divinitus veluti inspirati insolita sapientia cum magna insolentia gloriantur! — Insigne illud

S. Gregorii Magni effatum exactissime prorsus convenire videtur in tot hodierna ingenia juvenilia, aut saltem juveniliter luxuriantia: *quidam* ita ait S. Doctor, *quidam non quærunt in lectione ea, unde ad virtutem erudiantur, sed ea, unde singulariter eruditi videantur; atque ita immoderatis ausibus scientiam quo plus appetunt, plus amittunt.* Profecto! multi non nisi insolitæ cujusdam eruditionis laudem aucupantur, ac proinde in eo toti sunt: ut istiusmodi libros percurrant, quibus novæ illius sapientiæ thesauri continentur. Sapientissimum sane est, quod S. Apostolus Paulus in Epist. 1. ad Thessalonicens. Cap 5. suppeditat consilium. *Charissimi*, ita inquit, *Charissimi! omnia probate, et quod bonum est tenete.* Sed enim ab hoc sapientissimo Apostoli consilio longe diversam tesseram sequuntur cœci novitatis sectatores, videlicet: *omnia reprobate, et quod novum est tenete.* Verum inter tot veritati contraria ingeniorum hodiernorum conamina est nihilominus, cur veritati gratulemur. Novorum enim errorum plurimi ita comparati sunt, ut sua ipsorum insulsitate refutentur, ut proinde ab errorum auctoribus

bus et fautoribus vel invitis maximus veritati triumphus adparetur. Videmus enim perpetuam eorundem inter se discordiam, et dissensionem, qua fit: ut sibi ipsis minime constent, sed perpetuo veluti turbine circumagantur. Num mirum? — Sola veritas constans est, error autem natura sua varius, et inconstans. *Commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*, recte prorsus scribit Cicero. Quam deplorandi sunt omnes, qui non nisi novitatis studio ducuntur, et ingenium suum in ea intendunt, quæ aut veritati adversantur, aut saltem, ut Seneca de inanibus Sophistarum argutiis et quæstiunculis adfirmat, *nec ignoranti nocent, nec scientem juvant.* O inutilem eruditionem, quæ non servit ad hominis perfectionem! — quænam illa scientia, quæ, ut cum Tullio loquar, docet *tenebras obducere rebus clarissimis!* — Ego equidem hoc scientiæ, et gloriæ genus nemini invideo, nec invidia dignum censeo. — Nostra omnium AA. intereſt providere: ne doctrinæ novitate delusi, aut nominis celebritate, et auctoritate eorum, qui hodie oracula edunt, inducti a veritate deficiamus.

Ne quæso, iis aggregemur, qui, ut ait Apostolus, *circumferuntur omni vento doctrinæ*; et quod idem Apostolus monet, hac nostra præsertim ætate probe cavendum, videlicet: *ne doctrinis variis, et peregrinis abducamur.* Ut meteora paucis momentis solis splendorem et majestatem imitantur; aut, ut nubes a sole coloratæ, ab ejusdem solis radiis dissipantur; ita errores, postquam veritatis nomen et speciem aliquamdiu sibi arrogarunt, ab ipsa veritate vano et mendaci splendore exuuntur. Ita sane! — *Phantasmata reddentur tenebris. Errorum pellet nubila vis veri luminis.* * Erroribus heri natis succedunt hodie alii; hodiernos delebit dies crastinus. Crastinos vicissitudine perpetua sequentur alii per futura tempora. Sola æterna Dei veritas medios inter errorum fluctus, et opinionum humanarum tempestates immutabilis stat, et inconcussa. Magni gentium Doctoris Pauli in Epist. ad Hebr. 13. Cap. effatum confirmatur, et deinceps confirmabitur: *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula!*

* Synopsi Meditationum.

Do-

Dominica secunda.

Meditatio prima.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Epist. S. Pauli ad Colossens. 2. Cap.

Quod gentium Doctor Paulus in 1. ad Corinth. Epist. Cap. 13. de vera charitate adfirmat, videlicet: *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa — non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* — id ipsum prorsus de vera philosophia adfirmari posse; ego semper existimavi. Profecto! vera philosophia in tantum abest, ut generi humano obsit, ut multo magis, quam maxime prosit. Non nisi quod bonum est sectatur, malum ex adverso detestatur. *Non agit perperam, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Hisce doribus instructam philosophiam Apostolus Paulus minime reprobat. Non ita-

itaque de vera Philosophia, sed de vana quadam Sapientia, quæ splendidum Philosophiæ titulum sibi vendicat, Apostolus loquitur, dum sollicitos nos esse jubet, *ne quis nos decipiat per philosophiam.* Ut nobis ab istiusmodi deceptrice sub ementito philosophiæ nomine caveamus, in suis ad Fideles Epistolis, præsertim in Epist. ad Colossens. 2. Cap. Apostolus nos adhortatur. Cujus enim rei nomen adeo abusui obnoxium semper fuit, quam nomen honorificum philosophiæ? — Hoc sub nomine omnes, quotquot unquam fuerunt, veritatis osores, et errorum perniciosissimorum auctores commenta sua in lucem ediderunt, et veluti sanxerunt. Hoc sub nomine omnes ingeniorum comminiscentium partus quantumcunque monstrosi, et omnia mentis humanæ deliria nullo non tempore venditata fuerunt, et hodiedum venditantur. Quod dementiæ et insaniæ genus adeo incredibile, quod non Philosophiæ nomine insignitum fuisset, et adhucdum insigniretur? — Omnes, quotquot unquam veritati adversati sunt; quotquot fundamenta salutis humanæ supplantarunt, et in religionem et res sanctissi-

tissimas grassati fuerunt; quotquot, ut cum Seneca loquar, *in cælum ipsum insanierunt*, et Deum supremum rerum omnium auctorem et Dominum armis impiis petere ausi fuerunt, nefaria hæc sua conamina philosophiam compellarunt. Hi philosophiæ ostentatores, et nominis honorifici usurpatores sunt, de quibus ipse Servator in Evangelio S. Math. 7. Cap. ait: *attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sunt tam multi, qui nostra hac ætate, externa quadam specie nil nisi humanitatem, boni publici, et salutis humanæ promovendæ studium dexterrime mentiuntur; etsi sub affectata ovium mansuetudine interna luporum indoles lateat; a quibus proinde, jubente Apostolo Paulo, et ipso servatore, probe cavendum est. Nemo nostrum facile dubitaverit, surrexisse præsertim nostris hisce temporibus multos istiusmodi falsos Prophetas, quorum nova doctrina tot indies novos nanciscitur admiratores, eos nempe, qui antiquæ veritatis aut pertæsi, aut nescii semper rebus et opinionibus novis abripiuntur.

Toti sunt doctrinæ illius auctores in ratione perpurganda, quam reapse mirifice prorsus perpurgarunt. Adeo insolenter simul in orbe litterato dominantur, ut, nescio, quo jure? supremum in animos imperium sibi arrogarint, ita quidem: ut nisi eorum e partibus steteris, anathema, aut saltem mentis inops eorum sententia fueris. πρωτον ψευδος eorum est: revelationis divinæ nihil ad nos adtinere. Qua in sententia etsi omnes consentiant, in modo tamen eandem comprobandi non nihil discrepant. Aliqui rem brevi manu, ut dici solet, expediunt, et revelationem divinitus factam inter αδυνατα rejiciunt. Qui modus ad exemplum Alexandri nodum secandi, non solvendi, plurimum omnino habet commoditatis. Quid mirum hunc modum ea de caussa, multis ingeniis juvenilibus et superficiariis tantopere arridere! — Impossibilem dicunt divinam revelationem. De re autem impossibili quis disputabit? quanta eheu! judicii et ingenii profunditas! quanta istiusmodi hominum sapientia! — Sunt alii, quorum sapientia non minor, sed multo major modestia est. Nihil illi in hac

causa

causa affirmant, nihil negant. Revelationem divinam nec possibilem dicendam esse, nec impossibilem, censent; unde concludunt: rem hanc minime ad nos spectare. Qua fucata sub modestia, ut mihi quidem videtur, insignis latet nequitia — Inprimis enim magnam opinio eorum arguit animi levitatem, qua rem tantæ gravitatis inter αδιαφορα numerant, seu inter ea, quæ citra periculum negliguntur. Deinde magna est eorum temeritas, qua fit, ut contendant: nos de revelatione divina certos reddi non posse. Denique insolens eorum est arrogantia, qua denegatam sacris litteris auctoritatem, *doctis suis fabulis* vindicant. Interest singula seorsum considerare. Quantam inprimis eheu! hæc sentiendi ratio arguit animi levitatem, videlicet: num Deus singulari modo nobis hominibus suam declaraverit voluntatem, nihil plane ad nos pertinere. Lumen naturale rationis humanæ homini sufficit; ita inquiunt, ut quid opus lumine supernaturali? — Rationem sequamur, et inutilem de revelatione curam negligamus. — Hæc sunt AA. ut nostis, multorum sapientum hodiernorum præclara scili-

cet in et de re summæ gravitatis judicia! — Ergo operæ pretium non est, vel tantæ rei meditationi tantillum immorari! ergo res hæc digna non est, quam eadem saltem animi attentione perscrutemur, quam novi Sapientes novis ingenii sui partubus et portentis impendi volunt! — Quodsi autem pro infinita sua in nos bonitate Deus suam voluntatem singulari modo manifestare voluisset; numne quisquam adeo demens erit, ut nihil nostra interesse contendat? — Quid! Dei voluntatem nosse, et facere, curæ nobis non sit? — Sed enim grandes sunt, quas causantur rationes, ob quas, ut illi quidem putant, certi de hac re reddi nequimus. Ne argumentis, ut vocamus, credibilitatis, ad agnoscendam revelationem compellantur, malunt contradicere communi naturæ sensui, Scepticismum in rebus historicis aperte stabiliunt, fidem omnem humanam negant, ut tollant divinam; et omnem moralem certitudinem funditus evertunt. Juvat rem similitudine quadam illustrare. Summus princeps edicto quodam populis suis suam manifestat voluntatem. Edictum omnibus characteribus instructum est, unde unicuivis

vis facile illucescat: edicto hoc summi principis voluntatem sincere declaratam contineri. Leges eodem contentæ istiusmodi sunt: ut omnium, et singulorum saluti promovendæ quam maxime inserviant, ita quidem: ut singulorum et omnium subditorum, nisi desipere velint, vehementer intersit, has leges exactissime observari. Edictum nomine et auctoritate summi principis promulgatur. Nemini omnium dubium est, summum principem hoc modo suam in omnes et singulos voluntatem declarasse. Aliquis eorum nihilominus, ut plus cæteris sapere videatur, cæteris sapientiæ suæ specimen istud exhibet, ut edicti sinceritatem, et, ut dicimus, authenticitatem in dubium et suspicionem adducat. Cui vestrum — ait, visum ita fuerit, credat is per me licet, edicto illo summi principis voluntatem declaratam contineri; quod ad me attinet, ego nullo unquam modo adducar, ut hoc credam. Omnes ad hanc hominis vocem obstupescunt, et causam, ob quam non credat, ex illo ſciscitantur. Quia — ita reſpondet — ſi ſummus princeps ſuam mihi voluntatem manifeſtare voluiſſet, futurum omnino fuisset,

set, ut mihi loqueretur. Aliis autem locutum fuiſſe, incertum eſt — et in univerſum quid pluribus in hac cauſa opus? — quomodo credam hoc edicto ſummi principis voluntatem contineri, cum, an detur ſummus princeps, mihi non liqueat. Nunc magis omnes ad tantam hominis inſaniam obſtupeſcunt, et merito quidem. Fabulam narraſſe videor. Sed ſabula hæc in omnes divinæ revelationis adverſarios valet. Quid vobis, edicite AA. videretur, ſi prædicto modo philoſopharetur ruſticus? Nunc autem, nonne eodem prorſus modo argutatur magnus hodie philoſophorum numerus? — Quanta autem eorundem hac in re arrogantia, et inſolentia! quam enim ſacrarum litterarum auctoritati fidem denegant, propriæ ſuæ auctoritati vindicant, et dum nobis ſuadent, ut divina ſacræ ſcripturæ teſtimonia rejiciamus, ſimul nobis præcipiunt, ut eorum placita tanquam divina oracula ſuſpiciamus. Fidei dogmata contemnunt tanquam vana ſomnia; ſed ſua ſomnia nobis obtrudunt tanquam dogmata. Sua auctoritate omnem auctoritatem convellunt, nec quidquam jam amplius præter novas formulas ſuas va-

lere

lere patiuntur. Cum tamen multorum animis tanta adhuc insideat de sacræ scripturæ origine, et auctoritate persuasio, ut novi sapientes facile prævideant, ad eximendam animis hanc persuasionem, ſua utut ingeniosissima artificia, vix quidem ſuffectura, aliquid humanæ imbecillitati dandum et indulgendum esse censuerunt. Cujus singularis indulgentiæ ſpecimen admirandum tenemus in opere illo, in quo Religionem totam intra rationis limites coarctatam, et compactam accepimus, quo opere nova ſimul ars hermenevtica, cum nova Exegesi continetur. Auctor illius operis sacram scripturam, ut ita dicam, e sacra scriptura sustulit, eandemque in profanum ad systema suum accommodatum librum commutavit. Quod tamen mirari satis non possum, sunt, qui plenis buccis applaudant, et ingeniosum isthoc inventum tanquam lapidem lydium sibi gratulentur. Quid, quod ne quidem erubescant aperte aſſeverare: opus, quod Jesus Christus imperfectum reliquisset, a novæ doctrinæ auctore perfectum fuisse. Quod insulsum præconium, et plus quam blasphemum enunciatum,

ut

ut verbis viri de re litteraria optimo meriti, utar, et ego cum viro mox laudato toto pectore detestor, et semper detestabor. Et cui nostrum idem prorsus non sit animi sensus? — Quis non cum S. Augustino fateatur, et dicat: *major est scripturæ auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas.* Temerarios istiusmodi verbi divini corruptores, et revelationis adversarios ita alloqui licet: *Qui Dei testimonia audacter temnitis! quid, quæ extollitis sunt vestra heu! oracula? — nil nisi stultiloquia. Quæ fides docet dogmata superbe spernitis; et nostris animis suadetis vestra somnia, tot Dei ut eloquia?* * — Non sane persuadebitis! — Unusquisque nostrum multo magis cum regio Propheta ad Deum orat: *omnia mandata tua veritas — Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua — In æternum Domine! verbum tuum permanet.*

* e Synopsi Meditationum.

Do-

Dominica secunda.

Meditatio secunda.

Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula. Epist. S. Pauli ad Hebr. I. Cap.

Hoc insigne prorsus divi Apostoli Pauli effatum tam claris, et apertis verbis expressum parum omnino favet novorum sapientum ingeniosis licet interpretationibus. Qua ratione Apostoli effatum cum horum sententia conciliari possit, ego non video. *Deum* enim *locutum fuisse* testatur Apostolus. *Deum locutum non fuisse* contendit magnus hodiernorum sapientum numerus. Quorumnam e partibus standum, et cuinam sententiarum aperte contradictoriarum accedendum est? — Interest rei hujus longe gravissimæ meditationi non nihil immorari. Duo perpendamus. Quanta sint, quæ pro revelatione divina pugnant argumenta; porro, quam

quam inania sint adversariorum effugia —— Revelatio divina inprimis infinitis Dei perfectionibus prorsus est consentanea, deinde imbecillitati naturæ humanæ necessaria, insuper comprobata per innumera testimonia, denique omnium eorum, qui ad verbum Dei revelatum vitam suam exacte conformarunt, exemplis per tantam sæculorum seriem confirmata. Jnfinitis Dei perfectionibus revelationem prorsus esse consentaneam quis inficiari audeat? quid Dei sapientiam, providentiam et bonitatem magis commendat, quam homines divinitus admonitos, et mentium humanarum tenebras cælesti quodam lumine dispulsas fuisse? — quis nostrum cæleste hoc revelationis donum secum reputans admirabundus cum Apostolo Paulo non exclamet: *o altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* — Quis tenerrimo grati animi affectu non penetretur, dum inter alia immensam Dei Patris charitatem, et bonitatem secum recogitat, qua, ut ipse æterni Patris filius Jesus Christus in Evangelio S. Joannis 3. Cap. testatur, *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed vitam*

tam æternam habeat. Quis non adoret divinæ bonitatis consilia, quibus factum fuit, ut, qui prius eramus filii tenebrarum et perditionis, in filios lucis et adoptionis commutaremur! — Quis porro, dum communem naturæ humanæ imbecillitatem expendit, non perspiciat divinæ revelationis necessitatem! — Absque hoc superno lumine eorum e numero essemus, qui, ut verbis Zachariæ in Evangelio S. Lucæ 1. Cap. utar, *in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Quam divinæ revelationis necessitatem quo magis perspiciamus, quæso, ea nos conditione paululum collocatos existimemus, qua futuri essemus, quodsi lumine illo superno privati, lumen mentium nostrarum a temporum nostrorum Luciferis petendum, et quid credere, quid agere, quid sperare nos oporteat, ab his novæ scilicet! lucis auctoribus, nobis discendum esset — Quod quidem, quoties serio mecum reputavi, gratias semper, quas potui maximas egi *Patri luminum*, qui, ut scribit S. Apostolus Petrus in 1. Epist. 2. Cap. nos *de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* — Nunc vero hoc divinæ bonitatis et sapientiæ donum nobis re-

apse obtigiſſe, quis, niſi eorum e numero ſit, qui *magis dilexerunt tenebras quam lucem*, inficiari poſſit? — Quanta rei hujus ſuppetunt teſtimonia, et argumenta! ut prætercam eos, quos Deus in veteri teſtamento voluntatis ſuæ præcones conſtituerat, ut ſunt Patriarchæ, et Prophetæ, qui a Deo se miſſos fuiſſe factis indubitatis comprobarunt; *Eum*, ad quem omnia Patriarcharum, et Prophetarum vaticinia reſpiciebant, Jesum Chriſtum videlicet conſideremus. Quæ docuit, quæ geſſit, tanta ſunt, ut ad miſſionem Illius ab æterno Patre comprobandam, nihil omnino deſiderari poſſit. Quo miſſionis ſuæ a Patre æterno comprobandæ argumento ipſe Servator uſus fuit, dum incredulos Judæos hisce verbis, quæ in Evangel. S. Joannis 10. Cap. legimus, allocutus eſt: *si mihi non vultis credere, operibus credite!* Quid dicam de innumeris propemodum teſtibus, qui non verbis et ſcriptis ſolum, ſed ſanguine et morte ſua veritatem divinæ revelationis confirmarunt. *Tantam nubem teſtium habentes*, ut cum Apoſtolo loquar, quisquam dubitare poſſit! — Sed fructus longe ſaluberrimos, quos revelatio protulit consideremus.

remus. Superno hoc Dei lumine collustrati innumeri ſane in via veræ justitiæ, et ſanctitatis ambularunt, vehementiſſimos naturæ humanæ affectus ſuperarunt, carnis cupiditates domuerunt, virtutum excelſiſſimarum ſpecimina exhibuerunt, calamitates, et ærumnas hujus vitæ admiranda quadam animi magnitudine pertulerunt, denique, ut vixerant, imperterrita animi fortitudine mortem oppetierunt. Verum ſucclamant cauſæ contrariæ patroni: ut quid facta enumeras? non factis ſed rationum momentis opus eſt. Una demonſtratio plus efficit, quam quinquaginta facta. — Et ego contendo atque dico: unum verum factum plus efficit, quam quinquaginta, imo ſexcenta ſophismata. Non niſi rationem ducem ſequimur in cauſa religionis, ita ajunt. Numne autem nos ſine ratione in hac cauſa verſari exiſtimatis? — Noſtra credibilitatis argumenta, ut dicitis, vobis non ſatisfaciunt. Multo minus nobis ſatisfaciunt incredulitatis veſtræ argumenta. Myſteriorum quæ fides docet, obſcuritatem cauſamini; eheu! num veſtræ doctrinæ myſteria minus forte habent obſcuritatis? — Quis no-

ſtrum absque juſtiſſima indignatione legere poſſit, quæ novi ſacræ ſcripturæ interpretes in medium protulerunt! — Sacram ſcripturam vehiculi adinſtar conſiderandam eſſe putant, ad ſaniorem ſuam — ſi Superis placet! — doctrinam propagandam. Vix non Jesus Christus et Apostoli habent, quod sibi gratulentur, dum novorum sapientum judicio ſaltem non penitus inepti et indigni declarantur, qui, ſi in mundum reverterentur, his Sapientibus acenſeantur. Quis non fateatur S. Ambroſii effatum, in hos *Divinitatis Cenſores*, ut cum Tertulliano loquar, perbene convenire. *Increduli*, ita ſcribit S. Ambroſius, *increduli audacia verborum, terrenis armis contra cœleſtia dimicant* — — *et prudentes ſe dicere non erubescunt, quaſi humana ſapientia Dei ſapientiam ſuperaverit.* Et aliud ejusdem S. Doctoris dictum non minus huc valet: *non capiunt fidei, magnitudinem*, *anguſta impiorum* — aut, ut mitius loquar — ſuperborum Sapientum — *pectora. Fides magna credit, et majeſtate Dei digna*, inquit S. Auguſtinus. Nos, ut docet S. Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Ephes. 2. Cap. *ſuperædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolo-*

rum

rum et Prophetarum, ipso ſummo lapide angulari Chriſto Jeſu. Novi autem Sapientes cuinam, quæſo, fundamento innituntur? — Auctoritatem ſuam prævalere volunt. Credendum igitur nobis eſt propter auctoritatem. Illic vocat nos Jesus Chriſtus ſuaviſſimis illis in Evangelio verbis: *venite ad me omnes qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiam vos* — Hic ſtat Philosophus et magna voce nobis ſucclamat: venite ad me omnes, et ego ingenioſiſſimis argutiis omni consolatione et ſpe exuam vos — Num utrius e partibus ſtandum ſit, diu multumque deliberabimus? — Non ſane! unitis animis, et vocibus exclamamus: *nos docet hic philosophus; applaudit magnus numerus! nos docet varia, vix credibilia — o ſtultos nos, ſi credimus! — Propheta, et Apoſtolus, et ipse Dei Filius nos docent varia; o quæ dementia, ſi ſtulti his non credimus* * — Ita profecto! ſequantur alii novæ lucis auctores! placeat nova ſapientia! me certe hujus ſapientiæ gloria nunquam usque eo movebit, ut diſcedam a doctrina evangelica. Palam profiteor, et dico: philosophia, quæ ſolem extinguit,

 et

* e Synopsi Meditationum.

et hujus loco triſtem lampadem accendit, a qua parum aut nihil luminis ſpargitur, non eſt, nec erit unquam mea philosophia. Delectet alios artificiosa hujus lampadis ſtructura! — Ego lumen quæro, non artificium. Cæcutiant alii ad ſolem, qui in meridie ſplendet, et averſis in ſeptentrionem oculis, inde ſolem ſibi ortum, aut oriturum arbitrentur; ego metuo: ne meteorum quoddam inſolitum, aut rarum *phænomenon* ſolis nomine inſigniant, ac proinde inſigniter decipiantur — Valeat apud alios, quibus ita videtur, novi cujusdam et magni, imo maximi Ariſtotelis auctoritas! — apud me valet, valebitque ad ultimum vitæ meæ ſuspirium, una ſolaque auctoritas Jeſu Nazareni. Amen.

Dominica tertia.

Meditatio prima.

Charissimi! nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur, Jesum Chriſtum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit,

nit, et nunc jam in mundo est. Epist. I. S. Joannis Cap. 4.

Una eſt AA. Eccleſiæ Doctorum, ſanctorum Patrum, omniumque eorum, qui rei chriſtianæ ſcientia unquam excelluerunt, vox atque ſententia: grandem illam fidei chriſtianæ doctrinam de vera Jeſu Chriſti divinitate tanti eſſe momenti, ut, ſi doctrina hæc ſolidis rationibus convelleretur, vel ideo fidem omnem et doctrinam chriſtianam convelli neceſſe foret, ac proinde fundamentum, cui tota revelatio innititur, everſum iri, quo everſo, ut quisque facile perſpicit, haberent omnino revelationis adverſarii quod cauſam ſuam tandem evictam ſibi gratularentur. Quapropter, quoties eorum, qui ab Eccleſiæ primordiis Evangelio adverſati ſunt, conamina, et machinationes mecum recogitavi, miratus nunquam ſui, eosdem armorum ſuorum aciem, et omnem ingenii ſui vim ad impugnandam prægrandem illam fidei chriſtianæ veritatem præcipue convertiſſe. Perſpexerunt etenim, everſo fundamento, vel ideo ædificium collapſurum. Ad cæteros ſuos errores tanto tutius conſtabiliendos novorum errorum auctores præ omnibus ſua intereſſe

tereſſe exiſtimant, eandem prorſus fidei chriſtianæ veritatem toto armorum ſuorum apparatu, et impetu impugnare. Noſtra vel ideo intereſt, providere: ne ſpecioſis, quibus adverſarii utuntur, rationibus moveamur, et fidei nostræ, ut ait Apoſtolus, infeliciter *naufragium* faciamus. Monitum illud S. Joannis Evangeliſtæ in 1. ejusdem Epiſt. Cap. 4. ad nos ſpectare ne dubitemus. *Chariſſimi*, ita inquit, *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. In hoc cognoscitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt. Et hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, et nunc jam in mundo eſt.* Erat profecto tempore ſancti Joannis Antichristus jam in mundo. Surrexerant namque tunc temporis jam aliqui, qui Jeſu Chriſti divinitatem auſu temerario inſectabantur, quorum — præſertim Cerinthi, teſte S. Irenæo — audaciam repreſſurus S. Joannes Evangelium ſuum, quo potiſſimum doctrina, de vera Jeſu Chriſti divinitate vindicatur, conſcripsit. Sed nonne et in noſtram hanc ætatem idem S. Joannis effatum valet? nonne

nonne tot Jeſu Chriſti adverſarii per orbem chriſtianum graſſantur? — Quot eheu! Spiritus numerare licet, qui, ut cum Evangeliſta loquar, *Jeſum ſolvunt*, qui Spiritus proinde, teſte eodem Evangeliſta *ex Deo non ſunt*. Quapropter, ut magis in tanta fidei et doctrinæ chriſtianæ veritate confirmemur, neceſſe eſt, ut adversariorum argutias, deinde argumenta, quibus illa veritas evincitur, mentibus noſtris repetamus. Argutias, quibus illa veritas impugnatur, nunc persequemur, argumenta, quibus veritas eadem innititur, paulo poſt expendemus. Non novæ ſunt argutiæ illæ, quibus vera Jesu Chriſto divinitas abjudicatur, etſi veterum erroribus hodiernorum ingeniorum ſubtilitate quædam novitatis ſpecies concilietur. Præcipuum adversariorum effugium nunquam non fuit, et hodiedum eſt decantatum toties principium, ſcilicet! quod axiomatis loco habent, nempe: nihil credendum, niſi quod ad captum intellectus et rationis humanæ fuerit accommodatum. Hoc ſcuto ſe tuentur, et, ut illi quidem putant, nodum omnem uno, ut dicimus, ictu ſolvunt, totumque revelationis fundamen-

 tum

tum evertunt. Bona tamen horum ſapientum venia contendo atque dico: inſulsam eſſe illam ſententiam, qua veritas et fides denegatur iis omnibus, quæ non intra breves adeo humanæ perſpicacitatis limites continentur. Quid! quod ejusdem ſententiæ patroni ſibi ipſis minime conſtant! — Innumera enim, quæ ratione ſua aſſequi, et penetrare nequeunt, nihilominus in veriſſimis habent. Myſteria ſupernaturalia rident, et tamen ad myſteria naturalia ſtupent! qui ſe ipsos non comprehendunt, tamen quidquid comprehendi nequit, audacter negant, et pernegant. Numne in hoc ſentiendi et judicandi modo aliquod rationis veſtigium deprehenditur? — Alterutrum ſtatuendum eſt: aut dari multa, quæ a ratione humana minime penetrantur; aut ea, quæ a ratione non penetrantur, minime dari. Quidquid horum placuerit, contrarium illud eſſe adverſariis, haud difficulter oſtenditur. Quodſi contenderint, eorum, quæ a ratione non penetrantur, nihil dari; quæram ex illis: undenam miræ adeo ſententiæ veritas iisdem innotuerit? an per rationem? iſtud ſi adfirmaverint, eosdem rationi

ipſi

ipſi contradicere res in aperto eſt. Si vero conceſſerint, multa dari, quæ a ratione non penetrantur, quæram porro: quænam igitur ſit incredibilis eorum temeritas, et audacia, ut res ratione naturali multo ſuperiores tamen titulo rationis negare non erubeſcant? — Liceat mihi uti verbis viri doctiſſimi, ad propoſitum meum accommodatis. *Qui*, ita ſcribit, *qui enim univerſe, quod ajente ſenſu cogitare non poſſunt, in fictorum vel* αδυνατων *numerum referendum eſſe putant, ii profecto non melius ratiocinantur, quam ſi quis a nativitate cæcus, quæ de tabula picta ipſi narrantur, falſa eſſe, vel* αδυνατα *prorſus, ex eo colligat, quod rei hujus imaginem animo informare plane nullam poſſit.* Numnon ergo dicere licet: eos, qui fidei myſteria nobis annunciata inficiantur propterea: quia rationis humanæ vim ſuperant, rationi ipſi parum congruenter argumentari? — Nunc vero, cur præter alia fidei dogmata veram Jeſu Chriſti divinitatem inficiantur? quia ratione myſterium hoc nequaquam comprehendunt. Huic fundamento veterum et recentiorum Arianorum, Socinianorum, omniumque eorum, qui rejicienda putant ratione humana excelſio-

ra

ra divinitatis myſteria, error longe graviſſimus innititur. Omnia eapropter, quæ in ſacris litteris apertis licet verbis expreſſa docentur, niſi ad rationis humanæ captum accommodata fuerint, perfricta fronte negant, aut ſaltem cum ratione ſua quoquo modo conciliare attentant. Inde vix credibile eſt, quam variæ, quam violentæ, atque inſulſæ prorſus prodierint textuum ſacrorum interpretationes. Maxime exercitarunt ingenium ſuum in declarandis, ſcilicet! iis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, quibus vera æterni Dei Filii cum Patre æterno naturæ æqualitas aſſeveratur. Quantis argutiis utuntur, et quam mira prorſus effugia quærunt, ut nobis perſuadeant: præconium illud Dei Filii, quod Jeſu Chriſto toties, et tam aperte tribuitur, non niſi eo ſenſu, quo et alii eodem præconio inſigniti fuerunt, eſſe intelligendum. Sexcenties illis oſtenſum fuit, verba illa, et textus, quibus Jeſus Chriſtus Dei Filius prædicatur iſtiusmodi eſſe, ut Jeſum Chriſtum Deo Patri ὁμοȣσιον eſſe, non poſſimus, in dubium revocare. Præter multa, et manifeſta veræ in Jeſu Chriſto divinitatis teſtimonia, quæ in Evangelio, in Epiſtolis S.

Pauli,

Pauli, et S. Joannis legimus, plurimum ſane negotii faceſſit adverſariis, primum Evangelii S. Joannis Caput. Quam variæ, et temerariæ de λογȣ ſeu Verbo æterno opinationes! — Alii enim per λογον non niſi æternam Dei actionem, alii ipſum Dei intellectum, alii aliud quid, quod pro libitu confingunt, intelligendum eſſe hallucinantur, nequaquam autem perſuadere ſibi poſſunt, diſtinctam ejusdem naturæ divinæ perſonam indicari. Omnium tamen ſaniorum ſi ſuperis placet! interpretum facile ingenioſiſſimus dignum ſubtiliſſimo ſuo ingenio ſpecimen edidit in expoſitione percelebris illius *de verbo quod caro factum eſt*, effati evangelici. Ille enim, ut rem paucis complectar, Jeſum Chriſtum primo in ideam commutavit, deinde practicæ rationi ſuæ perſonam induit, et doctrinam ſuam nimis eheu! abſtractam in concreto et ſubjecto quodam conſpiciendam oculis noſtris ſiſtit, ita quidem, ut Jeſus Chriſtus non fuerit niſi numeris omnibus abſolutus Philoſophus criticus. Quod quidem omnium ignominioſarum de Jeſu Chriſto opinationum ego ſaltem eſſe exiſtimo veluti complementum. Quodſi teme-

rarii

rarii iſtiusmodi ſacrarum litterarum interpretes, qui præpoſteris ſuis commentariis apertiſſima Dei teſtimonia invertunt, ſe dedoceri paterentur, ego ad quemvis eorum illud dicturus eſſem, quod ſanctum Bernardum ad famoſiſſimum ſui ſæculi opinatorem, et acutiſſimum artis dialecticæ magiſtrum Abeillardum olim dixiſſe novimus, videlicet: *non licet in fide putare, vel disputare pro libitu; non hac illacqne vagari per inania opinionum, per devia errorum. Aliquid tibi certum fixumque præfigitur, certis clauderis finibus, limitibus coarctaris.* Et aliud S. Auguſtini effatum nonne in licentiosos hos ſacræ ſcripturæ interpretes convenit? *hoc nimis doleo*, ita ait S. Doctor, *quod multa, quæ in ſacris libris magna ſunt, minus teneantur, et parva nimis introducantur.* Feliciter tamen accidit, ut argutiis ſuis adverſarii non niſi iis fucum faciant, qui novitatis magis, quam veritatis ſtudio ducuntur. Veritas impugnari poteſt, ſuperari non poteſt. Aperta ſacræ ſcripturæ teſtimonia, toties repetita, et minime ambigua, majoris profecto ſunt ponderis, et magis digna quibus fidem adhibeamus, quam omnium novatorum etsi

inge-

ingeniosissima inventa. Novimus insuper, quanam potissimum de causa omnem lapidem moveant, ad grandem illam de Jesu Christo vero Dei Filio doctrinam labefactandam. Ut Caiphas, olim, coram cujus tribunali Jesus Christus se verum Dei filium testatus est, in furorem agebatur hoc testimonio, quia, si Jesum Dei filium esse crederet, præconceptis opinionibus renunciandum fore, facile prospiciebat; ita eandem prorsus ob causam novi nostræ ætatis Sapientes perbene intelligunt: stante hac de divina Jesu Christi auctoritate doctrina Ecclesiæ christianæ, evanescere ingeniosos suos errores, ac proinde huic veritati tanta animorum pertinacia refragantur. Quanta autem eheu! horum hominum temeritas! — Numne ergo deletam putant veritatem e sacris litteris, quia eandem deleverunt e suis animis? — Verum, ut quid pluribus utar verbis adversus eos, qui duce suo, et primipilo sacram scripturam non nisi ut quoddam antiquitatis opus considerant, e quo ea, quæ cum nova doctrina parum cohærent eliminanda, nec nisi ea retinenda esse censent, quæ cum ostentata tantopere rati-

one

one critica conciliari poſſe videntur. Jeſu Chriſto ſatis honoris et gloriæ tribuiſſe exiſtimant, dum eundem non penitus repudiant, ſed Eidem et Apoſtolis Ejus facultatem liberaliter concedunt: in criticorum ſubſelliis conſidendi, et hic a novo magiſtro diſcendi, quid, et quomodo docendum fuerit — Quod tamen hac in re inſulſiſſimum eſt: quam Jeſu Chriſto divinam dignitatem denegant, novo Magiſtro ſuo vix non aperte adjudicant — Inviti aliquando ſua corrigent judicia. Eum, quem verum Dei Filium eſſe nunc negant, aliquando videbunt, et cum centurione illo, qui Chriſto morienti adſtitit — etſi omnino non tam pio centurionis animo — coacti ſaltem et confuſi exclamabunt: *vere Filius Dei erat iſte!* —

Dominica tertia.

Meditatio secunda.

Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit: quoniam Jeſus eſt filius Dei. Epiſt. 1 S. Joannis 5. Cap.

Hoc

Hoc graviſſimo S. Apoſtoli et Evangeliſtæ Joannis effato fides noſtra, et quidem fides in Jeſum Chriſtum, ut *verum Dei filium*, noſtra, qua mundus vincitur, victoria compellatur, ac magna hujus fidei vis cum ſaluberrimis ejusdem fructibus indicatur. Profecto AA. fides hæc noſtra eſt victoria, unde fructus longe ſaluberrimi proficiscuntur. Quod, quo magis perſpiciatur, intereſt: duo omni, qua decet, animi attentione conſiderare, videlicet: quanta ſit, quam invicta hujus fidei firmitas, deinde, quanta, quam ineffabilis ejusdem excelſitas. Quanta ſit, quam invicta hujus fidei noſtræ firmitas, ex iis, quibus eadem fides innititur argumentis, illucescet. Sunt autem hæc argumenta Patriarcharum et Prophetarum vaticinia; ſunt ſtupenda, quæ Chriſtum natum præceſſerunt, comitata, et ſecuta ſunt, ſigna; ſunt doctrina Jeſu Chriſti, et opera, quibus doctrinam confirmavit; ſunt propria ipſius Jeſu Chriſti, et apertiſſima de divina naturæ et perſonæ ſuæ dignitate teſtimonia; ſunt Evangeliſtarum et Apoſtolorum manifeſtæ aſſeverationes; ſunt mors Jeſu

Chriſti, glorioſa ejusdem poſt triduum, ut prædixerat, a mortuis reſurrectio, et quæ inſpectantibus discipulis contigit, ad cælos ascensio; ſunt conſtans primævæ Eccleſiæ, tot conciliorum œcumenicorum, Patrum et Eccleſiæ Doctorum in hac fidei chriſtianæ doctrina propugnanda conſenſio, et contrariæ doctrinæ damnatio. Singula, quantum per temporis brevitatem licet, perpendamus. Fidei doctrinam de vera Jeſu Chriſti divinitate non modo libris novi, ſed et veteris teſtamenti adſtrui, res eſt nemini noſtrum non perſpecta. Meminiſtis proculdubio eorum vaticiniorum, quæ ad Jeſum Chriſtum Meſſiam, et redemptorem reſpiciunt, quæ Jeſu Chriſto omnia divinitatis attributa haud obſcure vindicant. Unde Evangeliſtæ et Apoſtoli in libris novi teſtamenti, ad illa veteris teſtamenti effata ſæpius provocant. Quid! quod ipſe Jeſus Chriſtus, ut in Evangel. S. Math. 22. Cap. ad coarguendos Phariſæos percelebri regii Prophetæ effato utitur. Cujus adventus in hunc mundum ab ipſius mundi primordiis, niſi adventus Jeſu Chriſti fuit prænunciatus? cujus nativitatem ea præceſſerunt,

runt, quæ nativitatem Jeſu Chriſti præceſſiſſe novimus? — Illud Prophetæ Iſaiæ Cap. 7. vaticinium: *ecce! virgo concipiet, et pariet filium*, in virgine Matre Maria impletum fuit, cui cæleſtis nuncius Gabriel Archangelus, ut legimus in Evangelio S. Lucæ 1. Cap. grande incarnationis myſterium annunciavit, prædicens huic virgini *benedictæ inter mulieres*, ex illa virtute divina, et Spiritus ſancti obumbratione *filium altisſimi* nasciturum. Quid dicam de iis, quæ Chriſti nativitatem comitata et ſecuta fuerunt! — de cœleſtium chororum concentibus, et hymnis, quibus campi Bethlehemitici reſonabant, et nativitatem illius prædicabant, cui ſoli excelſus *principis pacis* titulus competit. Quid de trium magorum ex oriente adventu, qui duce inſolito ſydere quæſitum invenerunt, et proſtrati in genua recens natum Meſſiam adorarunt — Quid dicam de Jeſu Chriſti doctrina, quæ ſola ad comprobandam auctoris divinitatem ſufficere mihi videtur! quid de operibus, quibus doctrinæ veritatem confirmavit! quæ opera non potuerunt non a Deo proficisci. Sola verbi virtute cæcos illuminare, claudis greſ-

 ſum,

ſum, mutis linguæ uſum dare; paralyticos, et omni morborum insanabilium genere vexatos momento ſanare; ſatiare multa millia hominum modico pane; ventis, et tempeſtatibus imperare; mortuos denique et ſepultos reſuscitare, hæc facere potuiſſe, et reapse fecisſe, nonne iſtud facientis divinam plane potentiam manifeſtat? — Non hic moror inſulſos illos Chriſti cavillatores, qui mendacium veritati, fabulam indubitatæ hiſtoriæ, et famosum illum impoſtorem Appollonium Thyanæum Chriſto Domino æquiparare auſi fuerunt. Verum aliud, et quidem maximum divinitatis Jeſu Chriſti argumentum perpendamus. Et quod iſtud? ipſius Jeſu Chriſti apertum teſtimonium, quo ſuam divinitatem coram Caipha principe ſacerdotum, coram Phariſæis, coram Synedrio, coram toto populo aſſeveravit. Teſtibus enim Evangeliſtis Jeſus ad Caipham principem ſacerdotum ducebatur. Cum teſtium ſubornatorum teſtimonia parum inter ſe convenirent, ac proinde accusati cauſæ illi conſulerent magis, qui pretio conducti fuerant, ut accuſarent, Caiphas aliud conſilium arripit, et Jeſum

hisce

hisce verbis alloquitur: *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis: ſi tu es Chriſtus Filius Dei!* Jeſus, ut ſcribit S. Evangeliſta Marcus, reſpondet: *ego ſum.* Quo reſponſo accepto Caiphas *ſcidit veſtimenta ſua*, et exclamavit: *quid adhuc egemus teſtibus? audiviſtis blasphemiam.* Qua in re iſtud probe advertendum eſt: a Caipha et Phariſæis ſenſum reſponſi, quod Jeſus dederat, perbene perſpectum fuiſſe, et penetratum. Si enim eo ſenſu, quo hodierni divinitatis in Jeſu Chriſto adverſarii Jeſum Dei filium eſſe contendunt, illud Jeſu Chriſti de ſe teſtimonium accepiſſent, numne, edicite! futurum fuiſſe putatis, ut Caiphas in tantum furorem ageretur? — Minime profecto. Eo enim ſenſu ipse Caiphas et Phariſæi ſe eſſe filios Dei gloriabantur, etſi huic de ſe opinioni parum reſponderent. Jeſus vero, ſtricto, ut dicimus, et eminentiſſimo ſenſu filium Dei ſe eſſe teſtatus eſt. Caiphas et Phariſæi hunc verum verborum ſenſum prorſus aſſecuti ſunt. Propterea S. Auguſtinus exclamat: *ecce! intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani!* addere licet: et quod noſtræ ætatis ſapientes intelligere nolunt.

Aliud divinitatis in Jeſu Chriſto argumentum conſideremus. Cujus vita, doctrina, geſta hanc veritatem teſtantur, hujus mors eandem veritatem manifeſtat. Jeſus, ut ſcribunt Evangeliſtæ, *inclinato capite tradidit ſpiritum.* Quanta eheu! ſubito naturæ universæ ſubſequitur perturbatio! — Terra repetitis ſuccuſſibus conquaſſatur, ſepulchra aperiuntur, corpora mortuorum reſurgunt, et in Jeruſalem deambulant; velum templi ſcinditur, ſaxa diſſiliunt, ſol obſcuratur, terrarum orbis horrificis involvitur tenebris, et natura universa inſolitam quandam ſubit viciſſitudinem. Si non certum, certe tamen non mirum eſt, quod creditur, Dionyſium Areopagitam Atheniensem exclamaſſe: aut naturæ auctor patitur, aut tota mundi machina diſſolvetur! — eheu! cujus divinitatem morborum ſanatio, venti, tempeſtates, elementa, ſaxa, ſepulchra, vivi, mortui, angeli, homines, dæmones, terra, ſol, ſydera, cœlum, universum atteſtantur, de hujus divinitate quisquam dubitare possit! — Quæ conſideratio proculdubio philoſopho illi Genevenſi nunc Jeſu Chriſti cavillatori, nunc admiratori

per-

perhonorificam illam de Jeſu Chriſto ſententiam expreſſit, qua, quantum inter Chriſtum et Socratem interſit, ingenue fatetur. Aliud divinitatis ſuæ argumentum præbuit Jeſus Chriſtus, dum, ut prædixerat, poſt triduum glorioſiſſimus de morte, et ſepulchro triumphator reſurrexit, et poſtquam quadraginta diebus cum diſcipulis converſatus fuiſſet, iisdem inſpectantibus ſumma cum majeſtate ad cœlos ascendit, ubi ſedet in gloria *ad dexteram Dei Patris unde* aliquando *venturus eſt cum poteſtate, et majeſtate magna* judicaturus *vivos et mortuos.* Quid nunc dicam de apertis Evangeliſtarum, et Apoſtolorum effatis, quibus grandem hanc de Chriſto vero Dei Filio veritatem atteſtantur! — De Jeſu Chriſto a S. Joanne, et Apoſtolo Paulo omnia veri Dei attributa adfirmantur. S. Apoſtolus Paulus præter alia, quæ in tantæ veritatis confirmationem docet, vult, ut in nomine Jeſu *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, et inferorum.* Quid dicam de Eccleſiæ in credenda et propugnanda vera Jesu Chriſti divinitate perpetua conſenſione! — Et quanquam aliquorum, præſertim Arii fraudibus

 con-

contrarius olim huic veritati error infeliciter invaluerit, error iſte tamen ab Eccleſia universa fuit condemnatus. Nonne tot primævæ Eccleſiæ Concilia œcumenica, ut Nicænum, Epheſinum, Chalcedonense, Conſtantinopolitana plura, et alia in eo præprimis verſata fuerunt, ut grandem illam veritatem vindicarent, et contra temerarios ejusdem adversarios tuerentur! — Denique tot viri celeberrimi, quorum primæva Eccleſia adeo fertilis erat, hanc de Jeſu Chriſto vero Deo et homine doctrinam ſumma verborum vi, et argumentorum pondere propugnarunt. Id, quod inter alios præſtitit Tertullianus in opere adverſus Marcionem. Eandem veritatem invicte defenderunt omnes Eccleſiæ patres, et doctores, ut ſunt: S. Juſtinus Martyr, S. Jrenæus, S. Clemens Alexandrinus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Gregorius magnus, et quotquot in Eccleſia universa omnibus retro ſæculis viri ſcientiæ, et ſanctitatis fama conſpicui noſtra usque ad tempora floruerunt. O ſæculi noſtri ingenia! numne ergo exſtincta putatis nova luce veſtra, hæc tanta ſæculorum omnium

præ-

præteritorum lumina? — Eccur tantæ fidei chriſtianæ veritati tantopere adversamini? multa de naturæ humanæ dignitate diſſeritis; edicite ergo: quid hanc naturæ humanæ dignitatem magis demonſtrat, quam facta divinæ naturæ cum humana in Chriſto conjunctio? — Quid naturæ noſtræ honorificentius ſacro ſanctis illis Evangeliſtæ verbis: *et verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis.* O fidei noſtræ excelſitatem, qua Jeſum Chriſtum Deum verum et hominem credimus! — Quod veterum aliqui docuerunt; homines proxime ad Deum accedere, hoc vero verborum ſenſu dicere, et cum Apoſtolo Petro aſſeverare nobis licet, videlicet: *divinæ nos naturæ* per Jeſum Chriſtum quodammodo effectos fuiſſe. Quanto fidei hujus excelſitas nobis eſt incitamento, ut tanta gloria dignos nos exhibeamus! — Hac enim fide ego ſemper gloriabor, eamque ad ultimum vitæ meæ ſuſpirium profitebor. Rideant novi Sapientes fidem meam tanquam ſomnium! — Liceat mihi ſomniare ſomnium Chriſtianorum! — Expergiſcemur aliquando et ego, et vos, qui me ridetis — et quis noſtrum ſomnia-

niaverit, patefiet — O AA. firmatis in hac fide animis, et conjunctis vocibus concinamus: *Te Jesu Christe! prædicamus; Te Dei filium laudamus, et nostra per solennia Te celebramus cantica. In hac nos fide confirmamus; invicti hac in fide stamus; terrestri nam in patria, hæc nostra est victoria. Hac fide Te nunc adoramus, dum aliquando videamus cœlesti Te in patria, et Dei patris gloria.* *

Dominica quarta.

Meditatio prima.

Aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Epist. I. S. Pauli ad Timoth. I. Cap.

Prodierant tempore S. Pauli non nulli, qui novas, et sanæ doctrinæ prorsus contrarias opiniones disseminaverant. Hos Apostolus ipse quidem redarguerat, et ad frugem reducere studuerat; cum vero Evangelii prædicandi causa iter

* e Synopsi Meditationum.

iter in Macedoniam inſtitueret, ac proinde fundatis a ſe in Aſia eccleſiis præſens adeſſe non poſſet; partem muneris apoſtolici, et curam fidelium, præſertim eorum, qui Epheſi erant, dilecto ſuo in Chriſto filio, et ſocio in verbi divini miniſterio, Timotheo demandaverat cum admonitione, ut novorum errorum auctoribus ſingulariter invigilaret, iisdemque, quemadmodum in citata 1. ad Timoth. epiſtola 1. Cap. ſcribit, *denunciaret, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide — finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, et conſcientia bona, et fide non ficta. A quibus* — ita proſequitur Apoſtolus — *quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Quod quidem Apoſtoli effatum, ut verbis Prophetæ Iſaiæ utar, in omnes *fabricatores errorum* prorſus convenit, proinde etiam in eos, qui noſtris hisce temporibus novis ingenii ſui portentis tantam multorum admirationem excitarunt. *Aberrantes* a via veritatis, et doctrinæ evangelicæ *converſi*

ſunt

ſunt in vaniloquium; et dum *legis doctores*, aut reformatores eſſe volunt, eo tandem pervenerunt, ut ſibi ipſis minime conſtent, et quod ædificant ſimul quoque deſtruant. Quod quidem non temere a me dictum fuiſſe unusquisque facile conceſſerit, quodſi ad novæ ethicæ præcepta adverterit. Cujus ethicæ auctores puriſſimum boni amorem mentiuntur, et naturam humanam præceptis ſuis ad, nescio, quale perfectionis moralis faſtigium evectum iri pollicitantur. Actiones viribus naturæ humanæ multo ſuperiores commendant, et tamen mira prorſus ſecum ipſis disſenſione, nos neceſſario ad exercendas iſtiusmodi actiones ſubſidio exſpoliant, ita quidem: ut penitus deſolati ab omni ſpe deſtituamur. Huc eorum doctrina collimat. Quod, quæſo, attentius non nihil conſideremus. Eſt, ut noſtis AA. nova hæc doctrina ita omnino comparata, ut primo obtutu in admirationem rapiat, et ut vana quadam veritatis, ac ſublimitatis ſpecie decipiamur. Quam magnificæ enim ſunt ſententiæ: homini bonum amandum et faciendum eſſe ex ſolo eoque puriſſimo boni amore! omnia alia agendi momenta

ta penitus esse negligenda! ex sola legis, quam practica ratio præscribit, veneratione agendum semper, et hujus practicæ rationis imperium sufficere, ut superatis quibusvis naturæ nostræ difficultatibus, quod faciendum agnoscimus, etiam faciamus; et plura id genus altisona præcepta. Ego autem, quod sentio, dicam. Quæ nimis alte sonant, veritati raro consonant. Facilius est magnificas sententias recitare, quam sententiarum istiusmodi veritatem opere ipso comprobare. Præclarum est, legis practicæ rationis venerationem commendare; sed præclarius est hanc legem reapse venerari, ejusdemque venerationem factis demonstrare — Conditionis, et naturæ humanæ immemores mihi videntur, qui novis suis præceptis genus humanum universum emendari posse confidunt. Quod, ut magis perspiciamus, et quam parum hæc nova morum doctrina ad humanæ naturæ fragilitatem sit accommodata; et quam præpostere prorsus novi salutis humanæ auctores — ut illi de se existimant — hoc tantæ molis opus aggrediantur, videamus, interest: naturæ humanæ ad bonum cog-

nos-

noscendum, et expetendum imbecillitatem tantisper recogitare, ut definire possimus: quænam morum purissimorum prodigia jam tandem aliquando ab hac nova morum formatrice profectura sint — Duo mecum, quæso, perpendite AA. tantam inprimis esse naturæ nostræ fragilitatem, et imbecillitatem, ut ad nos arcendos a malo, et ad bonum permovendos, fortissimis omnino opus sit subsidiis, et incitamentis. Deinde tantam esse, tamque temerariam novorum Sapientum de solis naturæ humanæ viribus persuasionem: ut nos omnibus, quibus a fide et religione instruimur subsidiis, et incitamentis penitus exspolient, solamque suam tantopere ostentatam rationem practicam ad malum fugiendum, et bonum faciendum sufficere arbitrentur. Hæc duo, postquam ea, qua decet animi attentione meditati fuerimus, haud quaquam judicatu difficile puto: quænam duarum præferenda sit: an doctrina evangelica, quæ efficacissima ad bonum suppeditat subsidia? an vero doctrina critica, quæ his subsidiis nos exspoliat? — Fragilitatem et imbecillitatem naturæ humanæ in faciendo bono, ejusdemque

que ad malum proclivitatem quis eheu! noſtrum non indies, et intime experitur? — Quoties offuſis veluti menti noſtræ tenebris bonum, quod faciendum eſt, non cognoſcimus! quoties cognitum bonum non facimus, quia facere nolumus! quoties facere volumus, ſed inviti quodammodo in contrariam partem pertracti facere non poſſumus! — Quis noſtrum eſt, qui illud notiſſimum æque ac veriſſimum Poetæ effatum propriæ conditionis teſtimonium eſſe, non fateatur, videlicet: *video meliora proboque, deteriora ſequor* — et aliud Poetæ dictum, quis ad ſe ſpectare inficietur, *nitimur in vetitum ſemper, cupimusve negata.* Quam triſtem ſane naturæ noſtræ conditionem S. Apoſtolus Paulus, et omnes ſinceri Dei cultores nunquam non magnopere deplorarunt. Quid, quod ipſe novæ doctrinæ magiſter naturæ humanæ imbecillitatem, et depravationem non modo agnovit, ſed et magna verborum vi deſcripſit, vix non dixiſſem, exaggeravit — — Qua in re vir ingenioſiſſimus parum ſibi ipſi conſtat. Sincera enim illius confeſſio mirum in modum contradicit doctrinæ, et doctrina

con-

confeſſioni, nec, qua ratione una cum altera conciliari poſſit, video. Fateri enim naturæ humanæ ad malum proclivitatem, et ad bonum imbecillitatem, et tamen ſubtrahere fortiſſima naturæ humanæ ſubſidia, quibus ſolis inſtructa malum ſuperare, et bonum facere posſit, hoc tantundem mihi videtur, ac ſi quis ad me miſere ægrotantem diceret: novi ego, te magno malo laborare. Macte animi! a malo te liberabo, malum in pejus vertendo — Edicite, AA. numne liberalius nobiscum agunt tot hodierni Sapientes? — Malum, quo laboramus, probe agnoscunt, et tamen unicum, quod ſuppetit adverſus malum remedium nobis rapiunt. Volare nos docent, qui ægre admodum ambulamus. Recte incedere nos jubent, qui tamen claudicamus. Inſolitam viam nobis monſtrant, quam ipſi ambulare nequeunt. Num aliud quid futurum putabimus, quam quod Servator in Evangelio docuit, nempe: ut, *dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadant.* — Adverſus hoſtes ſtrenue pugnare nos volunt, ſed absque armis. Grandia a nobis exigunt, quibus tamen vires ad mediocria deſunt. Verbo:

bo: ea docent, quæ ad naturæ noſtræ conditionem minime ſunt accommodata. O profecto AA. novorum Stoicorum ethica adhuc minus apta eſt, quam veterum, ad nos bonos eſſiciendos. Quænam illa eſt inſolita plane ſententia, qua aſſeritur: hominem bene agere poſſe absque omni bene agendi momento, absque reſpectu ad Deum, et futuram retributionem? — Hoc autem docent novi ſtoici decantata illa ad nauſeam usque formula — O magnam profecto vim practicæ rationis, ad cujus nutum homo a malo abſtinet, et bonum peragit; ad cujus imperium ardua quæque, et difficillima aggreditur, vehementiſſimis ad malum incitationibus reſiſtit, in potentiſſimos animi affectus dominatur, cupiditates omnes compescit, et ſupra ſenſus et ſenſualitatis deſideria ſe ſe erigit. Mihi interim, ut, quod ſentio, dicam, oſtentata tantopere rationis practicæ vis dubia videtur, et ſuſpecta. Ita enim exiſtimo: quodſi grandis illa Evangelii veritas de Dei Patris per Jeſum Chriſtum manifeſtata voluntate; de Deo actionum noſtrarum teſte, et futuro judice; de præmiis æternis et pœnis, quodſi inquam

tanta momenta nos a malo non retrahunt, et ad bonum impellunt, iſtud equidem repudiatis his momentis multo minus a nobis effectum iri. Qua de re ego ſaltem ita ſum perſuaſus, ut nullis quibuscunque argutiis a ſententia mea ſim dimovendus. Vellem ego, ut unus alterve e novæ doctrinæ ſectatoribus, et practicæ rationis oſtentatoribus inter nos adeſſet, et hisce eum verbis eſſem allocuturus: exhibe quæſo, aliqua rationis tuæ practicæ ſpecimina, ne de ejusdem vi, et efficacitate jam amplius dubitemus. Offertur occaſio tibi vehementiſſimam quandam animi cupiditatem exſatiandi, et ſenſuum voluptate perfruendi. Eo loco te, et eodem virtutis amittendæ in periculo verſari tantisper cogita, quo Joſephum ægyptiacum olim verſatum fuiſſe legimus. Hic fide viva in Deum animatus exclamavit: *quomodo ergo poſſum hoc malum facere, et peccare in Deum meum!* Lib. Genes. 39. Cap. Num tu forte ſola rationis practicæ vi ſuffultus idem facies? ego vero metuo: ne actum ſit de innocentia tua et ratione practica — — Magna tibi injuſtitia committenda eſt, aut fortunarum omnium jactura facienda.

da. Optio datur. Alterutrum faciendum. Quid ages? — Illata tibi eſt graviſſima injuria. Occaſionem nactus es injuriam ulciscendi. Num tu nihilominus ſuperata vindictæ cupiditate inimico illatam tibi injuriam cum magnanimitate condonabis? In vocationis tuæ officiis explendis grandes offendis difficultates; iniquis hominum judiciis, et calumniis perſtringeris; invidia, et odia in te concitantur; num animo concides? aut potius ſpretis hominum judiciis in explendis ſedulo vocationis tuæ officiis porro verſaberis? — Nullum tibi eſt ad bonum honeſtum incitamentum; innumera ex adverso ſunt ad malum utile invitamenta. Quam in partem concedes? — Quid ad hæc, et ſexcenta alia reſpondes? — E ſola legis moralis veneratione — ita inquis — et juſſu practicæ rationis, quod bonum eſt, et honeſtum ſemper faciam, nec latum quidem unguem a norma recti, et a via juſtitiæ unquam aberrabo. Ita nimirum dicis; ſed dicere et facere diversa ſunt. Te autem ut dicis, ita revera facturum, *hoc credat Judæus Apella, non ego!* — Verum, ut quid pluribus? eventus docebit: quos

effectus producat nova illa doctrina, quæ hominibus tanta, tam incredibilia pollicitatur. Videbimus, quales, et quanti milites et heroes duce illo categorico imperatore in ſtadium virtutis ſint prodituri, et noſtros Catones atque Zenones admirabimur, aut multo magis in ſententia noſtra confirmabimur: nos, niſi emendemur doctrina evangelica, multo minus emendandos doctrina quacunque critica. Profecto! niſi cæleſtis ille mentium humanarum medicus nos ſanaverit, inſanabiles ſumus. Niſi ab hoc ſalutem ſperare liceat, de ſalute deſperandum eſt. Nam novi illi mentium humanarum medici, naturæ noſtræ vulnera monſtrant quidem, non autem ſanant; aut potius circulatoribus ſimiles ſunt, qui credulis e plebe hominibus magna cum vociferatione venena ſub titulo medicaminum porrigunt, et homines occidunt, dum ſanitatem et ſalutem promittunt. Ego palam profiteor: multos novarum doctrinarum auctores commode comparari poſſe inſulso, et inſano ophtalmico, qui hominibus oculos effoderet, ut eosdem a periculo cæcitatis liberaret, aut opticas, ut vocamus,

mus, illuſiones præcaveret. Si quibusdam ita libet, ſperent per me licet, lucem a tenebris! cæci, duces cæcos ſequantur; infirmos ſe ab infirmis ſanandos confidant, et exſpectent ab iis, qui, quod aliis promittunt, ipſi non habent.

Ad exemplum illius cæci, qui, cum tranſires, auxilium tuum o Jeſu Chriſte implorabat, nec increpantium minis a propoſito deterrebatur, et nos quoque ad te clamamus, nec novorum ſapientum argutiis nec dicteriis deterrendi. Tu ſolus, cæleſtis medice! naturæ noſtræ vulnera ſanas. Tu ſolus ſalutis noſtræ auctor es. In Te credimus et ſperamus. Hac fide, et ſpe animati vivemus, et moriemur, certi de fidei hujus et ſpei fructibus immortalibus, quos credentibus in Te, et Te ſequentibus in patria immortalitatis deſtinaſti. Amen.



Dominica quarta.

Meditatio secunda.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, et quia inquirentibus ſe remunerator eſt. Epiſt. S. Pauli ad Hebræos II. Cap.

Inſigni ſane hac Apoſtoli ſententia longe alia doctrina continetur, quam ea, quæ a noſtri ævi Sapientibus nobis commendatur. Apoſtolus enim verbis apertis declarat: *ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo*, ac proinde ſine fide impoſſibilem eſſe veram virtutem, cum opera quæ Deo non placent, veræ virtutis nomine, ut ego equidem puto, inſignienda non ſint. Novi autem ſapientes contrariam prorſus doctrinæ huic Apoſtolicæ ſententiam tuentur, videlicet: homini in bene agendo fidem neceſſariam non eſſe — quod amplius eſt: nos plane reprehendunt, qui ideo bene agendum eſſe, nec aliter bene agi poſſe exiſtimamus, niſi, ut Deo placeamus. Quod tamen Deo placendi ſtudium, meo ſaltem judicio, et purius,

et

et efficacius ad virtutem incitamentum eſt, quam cuncta alia quantumcunque jactata puræ et practicæ rationis præcepta. Honorificentius proculdubio eſt, eo ex fine agere, ut placeamus Deo, quam ut non displiceamus hominibus — — Quod porro Apoſtolus in eadem ad Hebræos epiſtola 11. Cap. docet, expendamus. *Credendum eſſe* dicit accedenti ad Deum, et quod eodem recidit, ad veram virtutem contendenti, *Deum eſſe, et remuneratorem eſſe.* Qua ſua ſententia S. Paulus cauſæ novorum ſapientum parum omnino conſuluit; qui vel ideo magnopere indignantur, hac in re Apoſtolum tam parum fuiſſe criticum. Hi namque ſapientes incredibilem quandam habent a *remuneratione, a præmio virtutis, a laborum mercede,* animi averſionem. Omne præmium recuſant. Eadem magnanimitate in caſtris virtutis militant, qua novimus a quibusdam fieri in exercitu, qui non dederunt militiæ nomen propter ſtipendia, ſed propter gloriam. Ea de cauſa nos, qui ſecus hac in re ſentimus, abjecto *mercenariorum* nomine deſignant. Quod autem dicterium in Apoſtolum Paulum, imo in Jeſum Chriſtum ipſum

pronunciatum fuiſſe, ex iis, quæ dicturus ſum, pateſiet. Ne tamen injuriam viris juſtiſſimis inferam, palam fateor: eosdem mira omnino ſecum ipſis discordia, de Deo remuneratore, et futuro virtutis præmio diſſerere, et quidem ingenti acumine et ingenii ſubtilitate. Hoc unum autem hac in re dolendum eſt: eorum de Deo remuneratore, et futuro virtutis præmio opinationes a manifeſtis Evangelii et Apoſtoli Pauli effatis non nihil discrepare. Adeſte animis veſtris AA. et quæ dixero ponderate. Præpoſtero plane ordine procedunt noſtri ſapientes. *Nos enim prius bene agere jubent, deinde credere. Apoſtolus ex adverso nos jubet prius credere, deinde bene agere* — Novi ſapientes docent: virtutem prius exercendam eſſe, deinde futurum virtutis præmium — conjecturandum! — Jeſus Chriſtus ex adverſo toties in Evangelio futurum virtutis præmium tanquam fortiſſimum exercendæ virtutis incitamentum proponit. Alterutram in ſententiam nobis concedendum eſt AA! — Num diu multumque deliberabimus? — Quomodo eheu! bene aget homo, niſi prius in eum credat, ſine quo bene agere non poteſt?

poteſt? — Quomodo virtutem arduam adeo, et naturæ depravatæ permoleſtam exercebit, niſi propoſitis virtuti præmiis ad virtutis exercitium excitetur? Numne forte putant novi ſapientes, Jeſu Chriſto et ejus fideli Apoſtolo minus perſpectam fuiſſe naturæ humanæ conditionem, nec ſatis apta ſuppeditata fuiſſe conſilia, atque remedia? — Quantum discriminis igitur intercedat inter doctrinam evangelicam, et criticam videamus. Fidei *neceſſitatem*, et *efficacitatem* expendamus. Fides in *Deum remuneratorem*, et ſpes *futuri præmii* a Jeſu Chriſto et Apoſtolis, præſertim S. Paulo toties commendantur, ut iſtud nemo, niſi in Evangelio plane peregrinus fuerit, inficiari poſſit. Nunc Jeſus Chriſtus hanc de æterno virtutis præmio veritatem in parabolis docet; nunc ſine parabola apertis verbis eandem proponit. Inſignis illa parabola de conductis a Patrefamilias operariis, etſi proxime ad eos ſpectet, qui ad Eccleſiam Chriſti tranſituri erant, tamen de mercede, quam cæleſtis paterfamilias fidelibus voluntatis ſuæ exſecutoribus deſtinavit, intelligenda ſimul eſt. Huc pertinet illa parabola *de ſervis*, quibus

 Domi-

Dominus *diversa talenta* diſtribuerat. Et nonne Jeſus Chriſtus discipulorum animos toties propoſita æterni præmii ſpe, ad patientiam et conſtantiam inter omnes hujus mundi calamitates excitavit? — Nonne *beatos* prædicavit illos: qui *propter juſtitiam* perſecutionem passuri eſſent? — Nonne dixit: *gaudete, et exultate, quia merces veſtra copiosa eſt in cælis?* — Nonne omnibus, quo tanto paratiori animo arduam, quam præſignaverat, viam ambularent, deſtinatam poſt viam feliciter confectam, *immortalitatis et juſtitiæ æternæ coronam* iterum iterumque promiſit? — His prorſus conſentanea ſunt, quæ S. Paulus docuit. Et ſeipſum et fideles hac excelsa æterni præmii ſpe ſemper animavit. Cujus rei argumento inſerviunt tot celebres hujus Apoſtoli ſententiæ. Non niſi aliquas recitabo. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Epiſt. 2. ad Corinth. 5. Cap. et mox præcedente Cap. ait Apoſtolus: *id enim, quod in præſenti eſt, momentaneum, et leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur*

in

in nobis. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Quibus consonant ea, quæ idem Apostolus in epist. 2. ad Timoth. 4. Cap. scribit: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.* Verum tanta sententiarum, quibus Apostolus assertum comprobat, copia est, ut omnes recensere longum omnino foret. Vel solum ejusdem Apostoli in Epist. ad Hebræos 11. Cap. effatum ad propositum meum sufficit. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et quia inquirentibus se remunerator est.* Quodsi aliquis novorum Sapientum adesset, facile præviderem, quid mihi responsurus esset. Et nos credimus in Deum remuneratorem, ita loqueretur, et nos credimus destinata virtuti præmia, verbo: et nos Christiani sumus, sed omnino critici — Verum eheu! AA. quid vobis videtur de hoc novo Christianorum genere? præclaros sane Christianos, qui

præ-

præcipua fidei chriſtianæ capita aperte repudiant, aut ad propoſitum ſuum accommodant! præclaros Chriſtianos, qui Deum et animæ immortalitatem non niſi per centeſimam, ut dicere ſolemus conſequentiam conjecturant, cum tamen fides viva in Deum *remuneratorem* et animæ immortalitatem requiratur, nosque ſine hac prævia fide, ita agere non poſſimus, ut nos — verbis criticorum utor — conſummata felicitate dignos efficiamus Præclaros Chriſtianos, qui Jeſum Chriſtum in ſectæ ſuæ ſocium transmutant! inſtituta a Jeſu Chriſto ſalutis remedia, ſanctiſſima ſacramenta inter arbitrarias ceremonias numerant &c. &c. Si hi Chriſtiani ſunt, ergo adducite Judæos, Saracenos, Ethnicos, vix non addere liceret, Atheos, et hos omnes eodem jure Chriſtianos dicendos eſſe demonſtrabo. Num fides illa, quam hi Sapientes nobis jactant, fides eſt, quam Apoſtolus Paulus in omnibus ſuis epiſtolis docet, et quam recte prorſus adeo neceſſariam eſſe contendit, ut ſine ea placere Deo nequeamus? — Num illa fides, quæ origo eſt, et fundamentum veræ juſtitiæ, ut omnes Eccleſiæ Doctores, et

S.

S. Patres unanimi conſenſu atteſtantur? — Num illa fides, cujus effectus admirandos S. Paulus in epiſtola ad Hebræos 11. Cap. a 1. Versu usque ad 40mum recenset? — Non niſi ea fide, quam Apoſtolus docet, animati omnes omnium ſæculorum ſancti, et fideles Dei cultores tanta, tam ſtupenda conſtantiæ, patientiæ in adverſis, invictæ fortitudinis, virtutum denique omnium longe excelſiſſimarum ſpecimina ediderunt. Fides illa, de qua Apoſtolus agit, mater eſt tot filiorum, qui cæleſtem matris ſuæ originem factis comprobarunt, et fidei efficacitatem operibus ſuis demonſtrarunt. Siſtite, quæſo AA. oculis veſtris innumeros Jeſu Chriſti confeſſores, tot Martyrum glorioſiſſimorum milliones, qui fide hac cæleſti animati intrepidis animis mortem oppetierunt. Recogitate primævos Chriſti discipulos, et Apoſtolos! et edicite: num de fidei efficacitate dubitari poſſit? — Vel ſolus Stephanus, qui primus pro Chriſto vitam et ſanguinem fudit, quantus eheu iſte! — Ignatius Martyr, Polycarpus, Cyprianus, cujus vel ſolius martyrium absque lacrymis, et maxima animi commotione legere nunquam

quam potui. Sixtus, et excelſus ejus diſcipulus Laurentius, cum innumeris aliis, qui omnes tanta egerunt et ſuſtinuerunt, quanta novi Sapientes vix quidem agent, et ſuſtinebunt. Erit fors unus alterve novorum Sapientum, qui dicat: utquid in cauſæ tuæ defenſionem uteris exemplis fanaticorum? — Eheu! quisquis frontem usque adeo exuiſti, ut tantos viros fanaticos compellare non erubescas, ſcito: me malle millies eſſe e numero horum fanaticorum, quam e ſecta criticorum. Erit alius, qui reponat: cur fidei veſtræ efficacitatem tantopere extollis, cum tamen multi ſint, qui fide gloriantur, a quibus nihilominus opera fidei prorſus contraria perpetrantur, Ad quod ſic habeto: dolendum omnino, non diffiteor. Quod ſi autem hi inanes fidei oſtentatores fide reapse animarentur, futurum omnino eſſet: ut opera fidei conſentanea exercerent. Liceat nunc mihi ex te quærere: vos ſine fide philosophi, quænam vos opera exercetis, et quarum virtutum ſpecimina exhibetis? quid facturi eſſetis, quodſi veritatis cauſa mors ſubeunda foret? — Quid conſilii caperetis, quodſi novus

qui-

quidam Nero, aut Domitianus, aut Maximinus, aut Diocletianus easdem in vos philosophos ſuſcitaret perſecutionum tempeſtates, quas hi tyranni in primævos Chriſtianos concitarunt? — Ego, quod ſentio, aperte dicam. Exiſtimo, non multum ſanguinis effuſum iri, ſed omnes, quotquot numeramus criticos terribili adeo in *Criſi* oblitos veritatis, et rationis criticæ, et clamantis imperatoris categorici citatis greſſibus ad Ethnicorum templa properaturos, ibidemque in genua proſtratos idolis ſacrificaturos. Aliter ſe ſe geſſerunt primævi fidei chriſtianæ heroes. Illi in Deum remuneratorem crediderunt, et propoſita æternæ juſtitiæ corona maximopere excitati ſpe pleni immortalitatis lætis animis crudeliſſimam mortem ſubierunt. *Mercenarii* Dei fuerunt, nec eſſe pudori ſibi duxerunt. O AA. nec nos pudeat hujus nominis, quo nos novi ſapientes etſi maligno animo inſigniunt. Illam Jeſu Chriſti ſuaviſſimam vocem identidem recogitemus; *merces veſtra magna erit in cœlis!* — hac futura in cælis mercede dignos nos efficiamus! — Rideant novi Sapientes, fidem noſtram, nobisque exprobrent,

nos

nos non niſi ob ſpem præmii et mercedis æternæ bonum facere. Quærant illi temporalem gloriam — Eorum e numero ſunt, de quibus ſupremus hominum judex aliquando dicet: *mercedem ſuam jam receperunt.* Adſocient ſe Eccleſiæ huic critico-ethicæ alii, quibus ita viſum fuerit! nos adhæreamus Eccleſiæ apoſtolicæ. Unitis vocibus concinamus: *Laus tibi pater luminum! quod mittis lumen mentium, nos nunc illuminat, et nobis indicat, ad quem tendamus terminum. Supernum per auxilium tu firmas noſtrum animum, ut bonum diligat, et tibi placeat, qui boni es principium. Te adjuvante hoſtium ſalutis vim et numerum mens noſtra ſuperat, ut tandem capiat, quod promiſiſti præmium.* * *Amen.*

Dominica quinta.

Meditatio prima.

Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus — corrupti ſunt, et abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Ps. 13.

Inter omnia mentium inſanarum deliramenta, nullum datur et triſtius, et hor-

* e Synopsi Meditationum.

horrificentius monſtroſo illo commento, quo excelſiſſima, et omnium maxime pro nobis conſolatoria veritas de Deo rerum omnium auctore, et moderatore aut aperte negatur, aut ingenioſis ſaltem argutiis obſcuratur. Quod deliramentum, cum adeo inſulſum ſit, et atrox, ut ab eodem ſana cujusvis hominis mens et natura rationalis univerſa longe maxime abhorreat, viri non pauci, et rerum ſcientia, et morum ſanctitate conſpicui vix quidem perſuadere ſibi potuerunt, iſtiusmodi enorme plane erroris monſtrum, et naturæ humanæ opprobrium aut datum fuiſſe unquam, aut dari potuiſſe. Sed enim hiſtoria teſte, et experientia docebantur vel inviti viri optimi, quemadmodum et nos docemur: nihil eſſe tam verum, et ſanctum, quod ab impiis negatum non fuiſſet, et violatum. Inter hos viros ſcientia et ſanctitate inclytos proculdubio præcipuum quendam locum ſibi vindicat, inſignis ille Dei et admirator, et adorator, regius Pſaltes, et Propheta David. Hic ſuo tempore fuiſſe, qui Deum dari inficiabantur cum in aliis Pſalmis, tum præcipue Pſalmo 13. teſtatur. Ita enim ſcribit: *dixit in-*

 ſipi-

ſipiens in corde ſuo: non eſt Deus. Accommodate prorſus ad rem ſubjungit: *corrupti ſunt, et abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* O fidelis Dei cultor, regie Propheta! tui ævi Sapientes minus deſipiebant, quam noſtri hujus nimis lucidi ſæculi ſapientes. Illi enim Te teſtante non niſi *in corde ſuo* dixerunt: *non eſt Deus.* Hi autem ore ſuo, et ſcriptis ſuis mox aperte, mox cum aliquo impietatis ſuæ tegumento errorem omnium maxime deteſtabilem profitentur. Sunt, qui impia Democriti, Epicuri, Lucretii, aliorumque ex antiquitate ingeniorum delirantium commenta renovarunt. Non tamen eos hic commemorabo, qui non multo ab hinc tempore in urbe famoſiſſima non modo verbis et ſcriptis atheismum profeſſi, ſed, quod ſummus impudentiæ, et infamiæ gradus eſt, ea profeſſione inſolentiſſime gloriati fuerunt. Horum vel mentionem feciſſe me jam tædet. Apertus namque atheismus non niſi in furibundos cadit, qui naturæ rationalis et humanitatis ſenſum penitus exuerunt. Medici viderint, quomodo hoc genus furoris ſanandum ſit. Ad quod negotium, ut ego exiſtimo, non requi-

ritur argumentum philosophicum, quo capita obſcura illuminantur, ſed inſtrumentum quoddam chirurgicum, quo capita male ſana aperiuntur. Infeliciter accidit, ut atheismus quidam, ut ita dicam, crypticus per multorum hominum animos ſerpat. Vix non periculoſior aperto atheismo eſt doctrina, quæ ſubtiliſſimis argutiis veritatem de Deo in animis obſcurat, argumenta, quibus grandis illa veritas evincitur, rejicit; in eorum locum non niſi argumentum precarium ſubſtituit, et viam ad atheismum tot hominibus incautis atque improvidis ſternit. Nonne autem hæc omnia in eos valent, qui hac noſtra ætate præ cæteris, et ſoli ſapere videntur, ac κατ᾽ ἐξοχὴν Philoſophi vocari amant? Deum equidem non negant; ſed tanta ſimul ſunt ſcilicet modeſtia, ut vix adfirmare audeant — In univerſum ambigue adeo, et hieroglyphice de re tanti momenti loquuntur, et ſcribunt, ut metuere videantur, ne forte intelligantur. Tametſi non aliæ, eæque fortiſſimæ cauſæ eſſent rationumque momenta, quæ gravem mihi movent ſuſpicionem: hanc novam, utut immodice laudatam doctrinam nihil bo-

ni portendere; hæc ſola illius doctrinæ pars, quæ non tam ex inſtituto et ſerio, quam invidiæ et infamiæ evitandæ cauſa de Deo agit, mihi ſuffectura eſſet, ad me in pridem concepto propoſito confirmandum nihil unquam negotii habendi cum doctrina, quæ tota verſatur in rei omnium pro nobis graviſſimæ certitudine aut labefactanda, aut penitus evertenda — Intereſt AA. ad inſolitam horum ſapientum in re hac omnium graviſſima ſententiam animum tantisper advertere, et ea perpendere, quæ e ſententia ſuapte conſequuntur. Eſt autem eorum in hac re opinatio, aut potius principium: de Deo certi nihil nobis conſtare, ſed Deum in gratiam legis practicæ rationis conjecturandum ſeu, ut illi loquuntur, poſtulandum; quemadmodum idem prorſus de animæ noſtræ immortalitate arbitrantur. Omnia proinde argumenta, quibus omnes omnium gentium, et ſæculorum ſapientes vim invictam ineſſe ſemper perſuaſi fuerunt, nil prorſus fuiſſe et eſſe contendunt, niſi inanes argutias, et vana ſophiſtarum artificia. Dei exiſtentiam non niſi practicæ rationis juſſu conjecturandam eſſe, ſententia

tia eſt, quam criticæ familiæ pater, et omnes, qui huic familiæ jure vel injuria adſcripti sunt, tuentur, et quidem ſumma vi tuentur. Nec eſt, quod eapropter miremur. Cum enim doceant, non niſi e legis moralis, quæ a practica ratione proponitur, veneratione agendum ſemper, et eo nobis enitendum eſſe, ut conſummata felicitate nos dignos efficiamus; cumque facile perſpexerint, hujus utut altiſonæ morum regulæ exſecutionem vix quidem ſperari poſſe, cum unusquisque noſtrum hos Sapientes hunc in modum alloqui poſſit: vos me jubetis ita ſemper agere, ut conſummata felicitate dignum me efficiam; cur autem vos prius me certum non efficitis: me pro ratione meæ dignitatis aliquando felicem futurum, ac proinde moralitati meæ felicitatem reſponſuram? — Cum, inquam, has ſimilesque difficultates probe proſpexerint, ſententiam ſuam, et hanc doctrinæ ſuæ partem non nihil mitigandam eſſe cenſuerunt. Prius enim, ut mihi videtur, ſibi plane nihil negotii cum Deo intercedere voluerunt — deinde tamen Deo, aut potius Dei nomine, etiam in ſua cauſa ſe indigere

 ad-

adverterunt. Loquuntur enim de consummata felicitate, utpote summo bono, quo nos dignos reddere nos jubent, id est: qui adeo Eudæmonistarum principium perstringunt, secum ipsis discordes ad hoc idem principium tandem redeunt — Verum, cum nemo eorum consummatam illam felicitatem nobis tribuere possit, aliquem omnino in subsidium vocandum esse putarunt, a quo, quod illi promittunt, exspectaremus. Hunc aliquem -- ne in omnibus a more antiquo recederent — Deum compellarunt. Sed, ut nobis persuaderent: *hunc aliquem dari*, istud nimirum cum magna difficultate conjunctum erat. Nam nostram in Deum fidem et certitudinem, et fundamenta, quibus fides hæc et certitudo adhuc innitebantur, penitus everterant. Quid factu opus? — attendite quæso AA. et ingenium horum Sapientum admiremini! — Categoricum suum imperatorem, quem tam multa jubere jusserunt, jubere jubent: *dari Deum.* Hic jubet; et ecce! datur Deus! — et erit quisquam nostrum, qui existentiam Dei *hoc modo* evictam in dubium revocare audeat? — Ego interim, quod

sentio,

ſentio, dicam. Mihi hoc categorici imperatoris decretum haud inepte comparari poſſe videtur ſimili cuidam decreto, quo dictator horrendæ memoriæ in urbe, cui nomen a luto, paucis ab hinc annis juſſit: *dari ens ſupremum* — Quam parum enim novi Sapientes hoc categorici ſui imperatoris juſſu noſtram in Deum fidem firmaverint; quantam novæ doctrinæ auctor tot animis improvidis plagam inflixerit vel ſola doctrinæ ſuæ parte, in qua omnia argumenta pro Dei exiſtentia, omnemque horum argumentorum vim infringere conatur, viri perſpicaciſſimi fuſius oſtenderunt. Et erunt, qui nihilominus dicant: doctrinæ illius auctorem de nobis bene meruiſſe, et magnam eapropter gratiam eidem eſſe referendam! — Quanta ſit in rejiciendo præſertim argumento phyſicotheologico viri illius temeritas, paululum conſideremus. Contradicit manifeſtis ſacræ ſcripturæ effatis. Contradicit omnibus Eccleſiæ Doctoribus. Contradicit omnibus omnium ſæculorum ſapientibus, non modo chriſtianis, ſed et ethnicis. Contradicit communi naturæ rationalis ſenſui; denique, quod probe notandum, doc-

trinæ ſuæ veluti oblitus, ſibi ipſi contradicit. Quid inprimis apertius, quam eam doctrinam, et doctrinæ partem, in qua argumento phyſicotheologico vis omnis denegatur, innumeris ſacræ ſcripturæ effatis adverſari! — Recitandi mihi eſſent omnes libri veteris teſtamenti, libri omnium Prophetarum, præſertim Pſalmi Prophetæ regii, qui totidem ſunt compoſiti in gloriam auctoris naturæ hymni ſublimiſſimi, et in quibus elucens ex operibus divina potentia, ſapientia, providentia, ac bonitas celebrantur. Quid Jeſus Chriſtus in Evangelio docuerit, perſpectum eſt unicuivis noſtrum. Nonne nos juſſit ex operibus æterni Patris ejusdem providentiam, et paternam in nos clementiam agnoscere, admirari, eidemque amorem noſtrum filialem ac animi gratitudinem conteſtari! Nonne eidem propoſito inſiſtunt Apoſtoli, et inter hos cumprimis S. Paulus, qui Deum *ex iis, quæ facta ſunt, et per creaturam mundi*, cognosci poſſe, et cognoscendum eſſe, aſſeverat. Quid dicam de Eccleſiæ Doctoribus, qui una voce, et ſententia vim invictam illius argumenti et agnoverunt, et luculente pertractarunt,

runt, ut ex iis, quæ paulo poſt meditabimur, patebit. Quid dicam de tot ethnicis philoſophis, quorum una fuit hac in re perſuaſio. E Græcis ſunt præter alios, Thales, Zeno, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Pythagoras, Plutarchus, inter Romanus Tullius Cicero, et Annæus Seneca, qui omnes ſupremum rerum omnium auctorem e mundi hujus contemplatione agnoscendum eſſe contenderunt, etſi de cætero in aliis cum aliis a veritate aberrarint. Quis recenſere poſſit omnes poſteriorum ſæculorum e Chriſtianis viros excelſi ingenii, qui vitam viresque veritatis ſtudio, rerumque naturalium inveſtigationi cum tanto fructu impenderunt; qui litterarum ſtudia, et omnia ſcientiæ humanæ genera ad ſtupendum perfectionis gradum evexerunt. Quorum alii leges, quibus totum hoc univerſum regitur, aſtrorum motum, et immenſas, quas corpora cæleſtia percurrunt orbitas, accuratiſſime definiverunt; alii naturam eorum, quæ hac terra continentur, examinarunt; plantas, et omne vegetabilium genus; admirandam vel in minimo vermiculo partium texturam; hominis naturam,

corporis humani non nisi a divina potentia et sapientia profectum artificium; animi humani præstantissimas plane facultates, et operationes. Omnes autem his suis perscrutationibus istud præprimis intenderunt, ut horum omnium auctorem potentissimum Deum dari evidenter docerent, ac proinde per creaturarum contemplationem propius nos ducerent ad Creatorem. Et horum tantorum eheu! virorum studia, inventa, ratiocinia et conamina nobis nunc quisquam persuadeat, nil fuisse nisi vana somnia! — O vos, quorum quisque ingenii sui excelsitate sæculi sui admiratio fuerat; vos generis humani decora! Galilæi, Copernici, Bacones, Leibnitii, Newtoni, Kepleri, Fenelonii, Linnei, et quotquot superioribus sæculis viri immortalibus ab omni posteritate laudibus celebrandi vixistis in auctoris naturæ gloriam, vos igitur ad finem hujus sæculi novus quidam insolitæ doctrinæ magister omnia conterens, vos, inquam viri excelsi! nobis persuadere vult, nil fuisse, nisi ingenia superficiaria, ridiculos sycophantas, et miseros homunciones — Sed jam porro, quantum novorum Sapien-

pientum error communi naturæ rationalis ſenſui repugnet videamus. Inſita nempe eſt naturæ noſtræ vis quædam, quæ nos vel invitos cogit veluti, ad judicia quædam ferenda veritati conſentanea, et errorem veritati contrarium rejiciendum. Hac vi animus noſter ſe compulſum ſentit ad affirmandam potentiſſimi auctoris exiſtentiam, quoties magnificentiſſimum hoc atque pulcherrimum mundi theatrum contemplamur. Quæ vis naturæ rationalis, ut præclare ſcribunt Cicero, et Seneca, in populis etiam rudibus, et incultis, imo barbaris et ferocibus ſe ſe manifeſtat. Quapropter confidenter aſſero et dico: ipſos Groniæ et Islandiæ incolas longe ſanius philoſophari quam tot noſtræ ætatis philosophos nimis eheu! acutos — Sanioris iſtiusmodi philoſophiæ ſpecimen ſingulare refert vir quidam doctiſſimus in hiſtoria Groniæ, in qua ſapientem prorſus, et naturæ rationali prorſus congruentem incolæ cujusdam Groniæ de Deo ſentiendi et loquendi rationem narrat. Verum ſupereſt, ut quantum auctor novæ doctrinæ ingenioſiſſimus ſibimet ipſi contradicat, perpendamus. Poſtquam, ut quod res

eſt,

eſt, dicam, magna verborum vi et eloquentia de ordine, pulchritudine et majeſtate hujus univerſi diſſeruit, ingenue fatetur, tantam ad perſuadendum, tamque inſuperabilem vim ineſſe argumento illi phyſicotheologico, ut operam et oleum perdere cenſendus ſit, quisquis hoc argumentum infringere conaretur. Mox tamen præclare dictorum oblitus ſubjungit: ad perſuadendum hoc ipſum argumentum minime aptum eſſe, nec minimam eidem vim tribuendam. Quam apertam tanti viri in re tanti momenti ſecum ipſo, et cum doctrina ſua diſſenſionem magnopere ſane ſemper fui admiratus. Pluribus jam ſuperſedeo. Hoc tamen, priusquam finiam, mecum perpendite AA. quæ, et quam horrifica e novorum Sapientum doctrina manifeſte conſequantur. Lumen revelationis extinxerunt; ea autem argumenta, quæ ratio ſuppeditat, et quibus noſtra de Deo certitudo innitebatur, rejecerunt, tanquam ſophismata. Novum eorum argumentum precarium eſt, et, ut viri perſpicaciſſimi demonſtrarunt, inſufficiens ad fidem in Deum firmandam. Quid ergo ſequitur, et ſupereſt? terribile dictu! — ſine Deo

ſumus

ſumus — de Deo nihil nobis conſtat! — Deſperandum, imo jam deſperatum eſt! — Verum non! non ſane! Indubitato modo Deus ſe ſe nobis manifeſtat; id, quod paulo poſt expendemus. Noſtra intereſt, eam amplecti philoſophiam, quæ, ut ſapienter docuit Baco a Verulamio, *nos ducit ad Deum*; ac proinde nos non adſociare iis Sapientibus, qui veritatem omnium graviſſimam dubiis et tenebris involvunt. In quos effatum divi Pauli in 2. ad Timoth. Epiſt. 3. Cap. valet, *ſemper discentes, et nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Et ut S. Bernardus ſcribit: *merito obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, quia cum veritatem cognoscerent, et contemnerent, jure receperunt in pœnam, ut nec cognoscerent eam.* Monente igitur ipſa æterna veritate Jeſu Chriſto, *dum lucem habemus, in luce ambulemus.*

Dominica quinta.

Meditatio secunda.

Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum. Ps. 18.

Hoc

Hoc excelſum regii Prophetæ effatum veræ Philoſophiæ fundamentum, quemadmodum ſublimiſſimæ Poetices thema, et argumentum eſſe, ego ſemper exiſtimavi. Quod thema et argumentum etiam ab eodem regio Propheta admirabili prorſus modo fuit pertractatum. Id, quod ab hoc ſacro Vate cum in aliis, tum præſertim Pſalmis *18vo*, *103tio* factum fuiſſe, novimus. Et ſane, ea eſt naturæ humanæ comparatio, ut niſi quis a natura deſciverit, et cum ratione omnem humanitatis ſenſum exuerit, ſolo totius hujus univerſi intuitu, ad Dei cognitionem non tam perducatur, quam potius, ut ita dicam, vi quadam inſuperabili rapiatur. Nec facile quisquam erit, qui dum opera admiranda auctoris naturæ contemplatur ſe ad exemplum regii Prophetæ compulsum non ſentiat ad exclamandum: *cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum!* — Quapropter mirum omnino non eſt, omnes, quotquot unquam vixerunt Sapientes tanti, tam perſpicui argumenti vim invictam unanimi conſenſu non modo agnoviſſe, ſed idem prorſus

ſus argumentum magna ſententiarum multitudine et verborum pondere corroboraſſe. Ex omnibus enim, quæ hoc immenso mundi ambitu continentur, vox quædam reſonat, quæ Deum nobis annunciat. Ipſa hæc terra, quam incolimus, innumera nobis Dei exhibet teſtimonia. Ad quorum contemplationem Jeſus Chriſtus ipse fuit exhortatus. *Reſpicite* — ita inquit in Evangel. S. Mathæi 6. Cap. — *reſpicite volatilia cœli! conſiderate lilia agri!* — *nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* S. Paulus docet: *Deum, et inviſibilia, per viſibilia, per creaturam mundi* nobis illucescere. Infinitus propemodum ſim, quodſi graviſſimas ſanctorum Patrum, Eccleſiæ Doctorum, omniumque Sapientum non modo chriſtianorum, ſed et ethnicorum hac de re ſententias enumerare propoſuiſſem. Non niſi aliquorum ad propoſitum meum accommodatiſſima effata recitabo. *Totus mundus inſcriptus eſt, et ab omni conſcientia legitur*, ita præclare ſcribit Tertullianus. Unde haud immerito Apoſtolus Paulus Sophis Athenienſibus ignorantiam veri Dei, quam celebri illa templi inſcriptione prodiderant, ex-

pro

probrabat, cum totus mundus sit veluti templum, in quo quamcunque in partem nos convertamus, inſcriptum legimus: *Deus eſt, et infinita in nos homines Dei bonitas eſt.* Quapropter itidem laudatus paulo ante Tertullianus ſcribit: *Deus in aperto conſtitutus tantis operibus notitiam ſui armavit. Non eſt gens, neque lingua, quæ hanc vocem cælorum, et creaturarum intelligere non poſſit, qua Deum omnes clamant*, inſignis hæc eſt S. Chryſoſtomi ſententia. *Mundus codex eſt, in quo jugiter legere debemus*, ita præclare prorſus docet S. Bernardus. Et alius S. Doctor, eam philoſophiam, quæ in rerum naturalium perſcrutatione, verſatur, peraccommodate prorſus vocat *Catechismum ad fidem.* Imo, o pudor! res eſt minime dubia, celebriores Græcorum et Romanorum Philoſophos, hac de re longe ſanius ſenſiſſe, et ſcripſiſſe, quam tot noſtræ ætatis philoſophos, qui in religione chriſtiana a teneris inſtituti, et enutriti fuerunt, et qui omne ingenium ſuum in religionis ejusdem everſionem, imo plane in fundamenti, cui religio naturalis innititur ſupplantationem impenderunt, et impendere nondum deſinunt. Quan-

tæ

tæ confuſioni iſtiusmodi apoſtatis ſunt ea, quæ, ut taceam alios, Tullius Cicero, in toto ſuo ſecundo de natura Deorum libro ſcripſit, quibus e mundi hujus conformatione, ordine, et pulchritudine, neceſſitatem auctoris potentiſſimi, et ſapientiſſimi hujus mundi tam perſpicue, et luculente evincit. Numnon poſt tanta tantæ veritatis argumenta, clamante, et atteſtante auctorem ſuum natura univerſa, cum eodem Philoſopho, et Oratorum principe exclamandum eſt: *an, dum beſtiæ loquantur exſpectamus?* — Ego AA. quodſi beſtiæ ſubito loquelæ uſu inſtruerentur, primum quod locuturæ eſſent, iſtud futurum puto: ut tot ætatis noſtræ Sapientibus nefarium rationis et ingenii abuſum exprobrarent, quo iſtud intendunt: ut veritas naturæ rationali perſpicua tenebris involvatur. Fuerunt quidam, ut noſtis AA, qui grandem hanc de Deo veritatem ſanæ menti alioqui indubitatam, novis inſuper argumentis confirmare ſtuduerunt. Inter quos præcipui ſunt S. Anſelmus, Renatus Carteſius, et quidam e gente Hebræorum philoſophus, qui Dei, utpote entis perfectiſſimi exiſten-

ſtentiam ex ipsa entis perfectiſſimi notione deducere, atque eruere ſibi propoſuerant. Quorum virorum propoſitum, etſi non niſi paucis probaretur, laudabile ſaltem fuiſſe, omnes facile conſentiunt. Illi enim veritatem aliunde notam ingenio ſuo magis corroborare voluerunt. Noſtræ ætatis novi Sapientes ex adverſo veritatem eandem non novis argumentis confirmare, ſed vim argumentorum, quibus noſtra de hac veritate perſuaſio innititur, infirmare et penitus evertere omni, qua poſſunt contentione adlaborant. Et eheu! quod inſulſiſſimum eſt, hæc nefaria ſua conamina jactant tanquam ſumma in genus humanum univerſum merita. Quodſi novæ hujus ſapientiæ auctores, et fautores inter nos adeſſent, non ſane vererer, hisce eos verbis adoriri: ego nec ingenii veſtri ſubtilitatem vobis invideo, nec redundantem inde in vos gloriam. Me nec movebunt, nec unquam mihi placebunt inſolita plane ingenii veſtri prodigia. Nimis mirabilis eſt ſcientia, ad quam neceſſaria eſt rei omnium maximæ ignorantia. Ingenue ego fateor, novum veſtrum ſyſtema, mihi videri inter cætera Philoſophorum

rum ſyſtemata eſſe, quod Hippocentaurus eſt in veterum Poetarum fabula — aut, ut aptiſſima prorſus ſimilitudine, et comparatione utar; qua vir perſpicaciſſimus et disertiſſimus uſus fuit in opere nuper edito, mihi, ut viro mox laudato ſimile videtur veſtrum ſyſtema urbi, quam celeber Græciæ Comicus Ariſtophanes per aves in nubibus exſtruendam curare voluit, ad homines a Diis sejungendos — Implicate vos, ſi ita libet, labyrinthis, unde exitus patet nullus. Convertite axiomata in problemata, et veritates lumine naturæ notas in ænigmata commutate — Ego hoc genus laudis minime affecto. Invenite, ut ſtrenue adhuc feciſtis, novos pro myſticis doctrinæ veſtræ oraculis terminos horriſonos — Ego metuo: ne numerum terminorum inanium, quibus aliud quoddam Philoſophiæ genus ſub ementita Ariſtotelis auctoritate ſcatebat, augeatis. Perſtringite — qui omnium maximi ſpeculatores eſtis — omnem aliam philoſophiam tanquam inanem ſpeculatricem! ego ſubtiliſſimæ licet veſtræ ſpeculationis fructus generi humano, et litterarum profectui parum ſalutiferos

ſuturos exiſtimo. Renovate — per me licet — antiquas, aut excogitate novas antiquis mirabiliores entitates, quidditates, et hæcceitates. Sed, quæſo! in noſtris animis non ſupprimite ſenſum veritatis — ſervate vobis novas veſtras formas ſubſtantiales; ego liberalis ero, et vobis largiar, quotquot placuerint, prædicamenta, cum poſtprædicamentis, una cum cunctis prædicabilibus — imo his plane, ſi vultis, ſuperaddam accidentia abſoluta. Hoc tamen vehementer obteſtamur: *horrorem vacui* ne ergo inter nos reducatis! — oſtentate multiplicem veſtram et theoreticam, et practicam, et puram, et criticam, et ſi quam aliam forte habetis rationem! — Hoc ſolum impenſiſſime rogamus: relinquite nobis ſanam rationem! — delectet vos veſtra illa philosophia, quæ operoſe quærit, ut nihil inveniat. Ego præferam illam philoſophiam, quæ invenienda modeſte quærit, et quæſita certe invenit — Vos nuspiam Dei veſtigia cernitis; ego ex adverſo ubique Dei veſtigia deprehendo. Terra, cælum, Univerſum Deum mihi prædicant. Dum tempore nocturno cæli sereni ineffabilem pul-

chri-

chritudinem contemplor, et innumeras per immensum cæli spatium fulgidas stellas intueor, Deum admiror, et adoro. Dum humiles, quæ verno tempore in terra crescunt, violas colligo, Deum admiror, et adoro. Dum ad fixas leges constantes astrorum revolutiones, anni temporum, dierum, et noctium vicissitudines recogito, Deum admiror, et adoro. Dum, ut verbis jam commemoratis S. Bernardi utar, *in codice hoc grandi, qui mundus est*, lego, Deum admiror, et adoro. Quod auctor libri de imitatione Christi post Senecam asseveravit, videlicet: *quoties inter homines fui, homo minor redii*, istud et in me valere ingenue fateor. Confidenter autem ex adverso contendo et dico: quoties in magnificentissimo hoc naturæ theatro contemplator, et admirator steti, toties *homo major redii*. Quanta, quam verbis exprimere nequeo, animus meus jam inantecessum perfunditur voluptate, dum brevi futurum hoc verno tempore, quod ingressi sumus, omnium gratissimum spectaculum oculis meis sisto. Videbimus enim AA. paucis fere post diebus hujus terræ, quam incolimus, faciem

 inno-

innovatam. Manifeſtabitur auctoris naturæ bonitas, potentia, et ſapientia, nova veluti creatione. Reflorescent herbæ, flores, arbores, horti, prata, agri, campi, dumeta, ſylvæ. Juveneſcet natura univerſa, et creatoris ſui atque auctoris gloriam annunciabit. Quod per vitam ſæpius facere conſuevi, iterum faciam, ſummo mane auroram ſolis nunciam præventurus. In floridis campis magnificentiſſimo naturæ eventui præſtolabor. Videbo ſolem orientem! — quem etſi toties viſum, ſatis videre non poſſum. Audiam melodos alaudarum et lusciniarum concentus; inter harmonicos, quos creaturæ Creatori ſuo cantaverint hymnos, ad ejusdem Creatoris adorationem et amorem longe maxime excitabor. Recreato animo, et ſumptis novis viribus ad litterarum ſtudia, ac vocationis meæ negotia hilaris revertar et lætabundus — Quodſi novorum Sapientum unus alterve adeſſet, facile prævidere liceret ejusdem de me, et mea ſentiendi ratione, ſententiam. Hic homo — ita dicturus eſſet — hic homo non ratione ſed ſolo ſenſu ducitur; fanaticus eſt, et enthuſiaſta! — Cui ego paucis ita

eſſem

essem responsurus: malo ego esse cum sensu et humanitate fanaticus, quam sine sensu et humanitate Critico-stoicus — Verum finem jam imponam verbis meis. Prius tamen ad vos singulariter convertor Auditores litterarum studiosi, amici adolescentes! quæ alias vobis suppeditavi sapientiæ christianæ consilia, quæso identidem vobiscum recogitate. *Legite*, ut verbis S. Bernardi denuo utar, *legite in hoc codice*, *mundo* videlicet, et credite: amplius quid discetis, quam quod steriles quorundam philosophorum libri, etsi magnidicis sententiis referti, mendaciter pollicitantur. Obscurata Sophistarum argutiis grandis de Deo veritas, et labefactata in Deum fides, in animis vestris reviviscet, frequentiori et attentiori rerum omnium creatarum contemplatione magis semper magisque confirmanda. Vos denique AA, quotquot adestis, fidem vestram in Deum novorum sapientum ingeniosis argutationibus ne labefactari unquam sinatis! — Quapropter unitis animis et vocibus concinite iis, quæ prius a me recitata solenniter decantabuntur:

 Chorus.

Chorus. 1. Repleta tua gloria
Omnipotens! ſunt omnia.
Hac cuncta radiant,
Et Te indigitant
Excelſa tua opera.

2. Camporum flores, lilia,
Agrorum fructus, gramina,
Quæ læte vegetant;
Quæ grate murmurant
Profecta fonte flumina.

3. Te canunt volatilia,
Te feræ, ſylvæ horrida
Quæ antra habitant,
Mugitu celebrant,
Te monſtrant animalia.

4. Oceanus, et maria,
Ventorum vis, et pluvia,
Te montes indicant;
Te nobis nunciant
Nix, grando, æſtus, frigora.

(conſonantibus tubis et
tympanis)

5. Te quæ coruscant ſydera,
Te tonitru, Te fulmina
Vi magna prædicant
Laudesque reſonant
E tota mundi machina. *

* e Synopsi Meditationum.

Do-

Dominica ſexta.

Meditatio prima.

Cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire. Ps. 20.

Hoc regii Prophetæ effatum in univerſum ad eos reſpicit, qui tunc temporis prava animis ſuis agitabant conſilia, ſanctiſſimæ Dei voluntati contraria. De his cum in aliis Pſalmis, tum præſertim Pſ. 20 David aſſeverat, et dicit: *cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.* Quod effatum ad omnes, quotquot fuerunt unquam, et ſunt adhucdum divinæ voluntatis et veritatis adverſarios accommodari poſſe, et accommodandum eſſe, nemo noſtrum AA. non perſpicit. Proinde hoc idem regii Prophetæ effatum in non paucos noſtræ ætatis Sapientes convenit, qui ſimulato veritatis ſtudio veritati, et Dei voluntati adverſantur. Quod quidem, ne iniquius quam verius a me dictum fuiſſe videatur, intereſt: conſiliorum, quæ iſtiusmodi ſapientes animis ſuis agitant, rationem per-

pendere, ut, quid ſtatuendum ſit, videamus. Tria quæſo, AA. mecum conſiderate, videlicet: quo colliment horum ſapientum conſilia? deinde, quid futurum, ſi hæc ſua conſilia ſtabilire poſſent? denique, num ſpem habeant fore: ut hæc ſua conſilia, aliquando ſtabiliant? — Quæ ſint inprimis eorundem conſilia, quo tendant? ex iis, quæ adhuc meditati ſumus, haud difficulter intelligere licet. Non celant propoſitum ſuum, ſed ſatis ſuperque manifeſtant, ita quidem: ut dubitare nequeamus: ab iisdem religionem revelatam aperte repudiari. Docent: divinitus nihil omnino nobis annunciatum fuiſſe, et an Deus ſingulari modo ſuam nobis manifeſtaverit voluntatem, necne? horum nihil ad nos attinere. Consilia eorum, et molimina eo collimant: ut ſub titulo rationis, nescio, quantum perpurgatæ? omnem ſacrarum litterarum auctoritatem convellant, ac vel ideo fidem, quam huic auctoritati adhibemus, animis noſtris eximant. In locum autem divinæ auctoritatis ſuam ſubſtituunt, cui absque tergiverſatione fidem vere cæcam adhibere, et intellectum, quem jubente

Apo-

Apoſtolo Paulo in obſequium Chriſti adhuc *captivavimus*, deinceps jam in obſequium novæ doctrinæ ſubjicere — vix non dixiſſem, ſupprimere nos jubent. Divina teſtimonia, ut novimus, impudenter explodunt, et tamen ſua oracula importune adeo nobis obtrudunt. Myſteria ſublimiora fidei rejiciunt, et tamen horum loco myſteria ſuæ doctrinæ vere incredibilia, credenda nobis proponunt. De Deo quemadmodum ſentiant? unicuivis noſtrum perſpectum eſt. Quod tamen mirum: etſi certi de Deo non ſint, ſe nihilominus veros ſolosque Dei cultores eſſe gloriantur. Attendite enim AA. Novæ doctrinæ auctor ſatis aperte indicat, percelebri illo Jeſu Chriſti effato in Evangelio S. Joannis 4. Cap. ſe ſuosque aſſeclas deſignari — Jam tandem aliquando ſcimus, quinam ſint *veri adoratores, qui patrem in ſpiritu, et veritate adorant.* Quanquam, ut ingenue fatear, magnopere paradoxum mihi videatur, Deum adorari ab iis, qui, an detur Deus? ingenioſe disputant, aut Deum ad ſummum poſtulant — Mira hæc eſt adoratio, cui adjecta eſt tam mira conditio: *adoro te Deus, ſi tamen*

exiſtis

existis — Quid vobis videtur AA. *de hypothetica* hac adoratione? — Jeſus Chriſtus, et ejus Apoſtolus Paulus longe aliud quid docuerunt, quorum auctoritas et exemplum pluris mihi ſunt, quam novorum ſapientum poſtulatio, et adoratio — Aperta ſunt AA. et unicuivis perſpecta, quæ novi Sapientes animis ſuis agitant conſilia. Quod ſecundo loco propoſueram, quid, ſi hæc ſua conſilia ſtabilirent, futurum eſſet, nunc paululum expendamus. Divinæ revelationis fundamentum ſupplantare, et evertere conantur. Quod quidem nefarium eorundem tentamentum, ſi ſucceſſum haberet, quid, quæſo, futurum exiſtimatis? — Quosnam fructus morales, et ſpirituales, ut grandiloqui doctrinæ ſuæ oſtentatores pollicitantur, viſuri eſſemus, et admiraturi? — Deum dari, iis argumentis, quibus omnes omnium ſæculorum ſapientes grandem hanc veritatem evicerunt, evinci poſſe, illi audacter negant, ut octiduo abhinc ex me percepiſtis. Lumen revelationis, extinctum volunt — Ergo horridis tenebris immergimur! — Cum fide viva in Deum, et mentis noſtræ de Deo certitudine,

ne, naturæ noſtræ alioqui tam fragili, omnia ſimul eaque fortiſſima ad bonum morale faciendum, et malum fugiendum ſubſidia rapuerunt, et incitamenta. Ex ſola legis a practica ratione promulgatæ veneratione ſemper agere nos iubent, ſine omni ad Deum, et promiſſum virtuti præmium reſpectu. Eheu! AA. adeſte animis et probe attendite. Vivaciſſima in Deum boni remuneratorem et mali vindicem fide, certiſſima præmii æterni ſpe, et pœnæ æternæ metu, verbo: tota religionis vi, et efficacitate, et graviſſimo rationum, quas proponit, pondere opus nobis eſt, ad vel unum ſolummodo pravum animi affectum compescendum, et legem divinam implendam! et erit quisquam, qui nobis perſuadeat: ſublatis his omnibus rationum momentis, nos commutatum iri in homines juſtos, perfectos, numeris omnibus abſolutos! — Et ſuam, et naturæ humanæ universæ conditionem penitus ignoret neceſſe eſt, qui iſtiusmodi quid ſperare audeat. Mihi, ut exemplo ſæpius jam adhibito utar, mihi inquam tantundem iſtud videtur, ac ſi medicus ægroto ſalutis et ſanitatis recuperan-

perandæ remedia prorſus neceſſaria denegaret, et ſublatis medicamentis, miſerum ſine viribus ægrotum bene valere, edere, bibere, e ſtrato ſe ſe proripere, ambulare, et in perfectæ ſanitatis argumentum plane ſaltare juberet — Nonne merito ægrotus ad medicum diceret: cur aliquid faciendum mihi præcipis, ad quod faciendum vires mihi et media ſubtrahis? — Ita prorſus noſtrum unusquisque ad novæ ſapientiæ magiſtros dicere poſſet. Magnifice ſonant veſtra morum præcepta, et leges! ſed quæſo, ubi, et quæ præceptorum iſtorum, et legum ſanctio? — Vos me jubetis ita ſemper agere, ut actio mea normæ inſervire poſſit omnibus hominibus Eheu! quam mira hæc eſt morum regula, qua nihil incertius datur, et minus definitum, atque determinatum! — Quærere enim licet, imo neceſſe eſt: quomodo agèndum, ut actio mea normæ inſervire poſſit omnibus hominibus? — Lex practicæ rationis tibi dictabit, aitis. Etſi multa ſint, quæ reponam, tamen præteribo. Concedam, quod *poſtulatis*. Iſtud tamen quæram: numne ergo practica hæc ratio ſufficiet ad dictatam a ſe legem ſimul

ex-

exſecutioni mandandam? ſi non ſufficit, ad quid prodeſt lex etſi ſexcenties promulgata et dictata? — Solam autem legis promulgationem etiam ſimul ſufficere ad legis obſervationem, hoc quæſo, ne nobis perſuaderi poſſe exiſtimetis! Innumeris namque exemplis contrarium docemur. Sapientiſſimæ leges, quas ſummi principes, et populorum moderatores ferunt, numne jam vel ideo ab omnibus obſervantur, quia omnibus promulgantur? — Novi equidem quid inter leges morales, et civiles discriminis intercedat. Quoad exſecutionem tamen inter has et illas parum aut nihil intereſt. Et harum, et illarum exſecutioni pravi naturæ noſtræ affectus, et ſenſuum cupiditates adverſantur. His ut plurimum præponderantibus indies accidit: ut omnia jurium legumque naturæ, et ſocietatis repagula perfringantur. Prodeat velim veſter ille tantopere oſtentatus categoricus imperator! jubeat exempli gratia hunc hominem avaritiæ deditum, turpi ſuæ, et injuſtæ cupiditati moderari! promulget practica ratio legem ſuam et formulam decantatam: ita tibi agendum eſt, ut actio tua inſervire poſ-

ſit

ſit normæ omnibus hominibus. Videbimus, quam parato animo ſit obtemperaturus. Quid hic homo curat legem practicæ rationis, qui non agnoscit aliam legem, quam curam implendæ crumenæ! — Jubeat practica ratio illum hominem, qui non niſi ſenſuum voluptatibus inhiat, legis meminiſſe: ita agendum tibi eſt, ut actio tua inſervire normæ omnibus hominibus poſſit. Num lex hæc hominem illum ad ſaniora conſilia, et ad frugem reducet? equidem non exiſtimo. Mea lex eſt, quam ſtrenue exſequor, ita inquit, explere ſenſuum cupiditates. Sequantur alii per me licet, eandem, aut aliam legem, mea nihil refert — Quæ cum ita ſint, quid ergo emolumenti capiet mundus moralis ex hac nova morum magiſtra, quæ ſeveritate præceptorum vix non ſtoicam ſapientiam ſuperat, et homines omnes in totidem Zenones, et Catones, aut potius in totidem perfectæ ſanctitatis viva veluti exemplaria a ſe commutatum iri pollicetur? — Mirum ſane! maxima præcipit, et media etiam ad minima ſurripit! — Quapropter, quid futurum eſſet, ſi

novi

novi hi ſapientes conſilia ſua ſtabilirent, facile conjectura aſſequimur. Nunc quod tertio loço propoſui, paululum conſideremus. Num ſpem habeant hi ſapientes fore, ut conſilia ſua ſtabiliant, et exſequantur? — Quodſi ad eum, quem nova doctrina nacta eſt admiratorum et fautorum numerum reſpicimus, futurum omnino exiſtimandum eſt, ut brevi poſt tempore, quemadmodum teſtante S. Hieronymo olim orbis chriſtianus obſtupuit, ſe eſſe Arianum, obſtupescat ſe eſſe criticum — Meo tamen judicio ipſa doctrinæ novæ natura iſtiusmodi eſt, ut ætatem vix ferat.' Id, quod viri me multo perſpicaciores cenſuerunt.' Refrigescet nimius ille multorum ardor, et mendax veritatis ſplendor cum rei novitate evanescet. Et ſit quiscunque denique novarum opinionum errorumque progreſſus! num de veritate actum eſſe putabimus. Minime ſane! — Intereſt Deus rebus humanis; et quod olim jam per Prophetam Iſaiam annunciavit, certo eveniet, videlicet: *abibunt in confuſionem fabricatores*

tores errorum, et regii Prophetæ Davidis effatum confirmabitur: *cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.*

Dominica sexta.

Meditatio secunda.

Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. Epist. 2. S. Petri 3. Cap.

Hac secunda S. Petri epistola, gravissima sane monita, et documenta continentur, quibus Apostolus primævos Christi fideles in sana doctrina confirmat, eosque maximopere exhortatur, ne novorum errorum, quos temerarii quidam veritatis adversarii sparserant, splendore fascinati a via veritatis se se abduci paterentur. *Fuerunt* — ita scribit ejusdem epistolæ 2dæ Cap. 2do, *fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant — Hi,*

ita

ita deſcribit errorum auctores, *hi ſunt fontes ſine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur — libertatem promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis* — Et ſequente ejusdem epiſtolæ 3tio Cap. proſequitur: *hanc ecce vobis, chariſſimi! ſecundam ſcribo epiſtolam, qua veſtram excito in commonitione ſinceram mentem, ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a ſanctis Prophetis, et Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini, et Salvatoris. Hoc primum ſcientes: quod venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores — Vos igitur*, ita epiſtolam claudit, *fratres! præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate — Creſcite vero in gratia, et in cognitione Domini noſtri, et Salvatoris Jeſu Chriſti. Ipſi gloria et nunc, et in diem æternitatis.* O AA. ego nec gravioribus nec aptioribus ad propoſitum meum verbis finem imponi poſſe his, quibus vacavimus, ſacris meditationibus, exiſtimo, quam iisdem prorſus, quibus S. Apoſtolus Petrus uſus fuit, ad primævorum fidelium animos ad-

 ver-

versus grassantium errorum pericula præmuniendos, eosque in sana doctrina confirmandos. *Vos igitur fratres! præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate — Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis.* Cui sapientissimo Apostoli monito ut tanto paratiori animo morem geramus, interest animum nostrum ad tristem eorum conditionem advertere, qui veritati antiquæ christianæ renunciarunt, et novorum errorum labyrinthis se se implicarunt; deinde ea, quæ de victrice veritate inter grassantium errorum insultus sacræ scripturæ, et historiæ testimoniis docemur, sedulo nobiscum reputare, ut ita confirmati inter errorum hodiernorum pericula veritati antiquæ constanter adhæreamus. Dari inter novæ doctrinæ sectatores viros acuti ingenii, minime diffiteor. Verum et acutissimum ingenium errandi periculo est obnoxium. Et quid prodest summa ingenii profunditas, si amittitur ingenii ab-

usu

uſu veritas? — Nihil eſt veritatis ſtudio magis contrarium, quam nimia ingenii fiducia, et illa ſcientia, quæ, ut cum Apoſtolo loquar, *inflat*, non eſt de veritate ſollicita, ſed de vana gloria. Demus novum quoddam Philoſophiæ genus inſolitum eſſe et ſtupendum ſubtilitatis exemplum! num autem ſimul eſt veritatis argumentum? — Ego ita exiſtimo: quæ in hoc novo philoſophiæ genere vera ſunt, vix quidem nova; quæ autem nova, vix vera eſſe. Scepticismum et Dogmatismum ſua philosophandi ratione proſtratum fuiſſe novæ philoſophiæ patroni gloriantur. Utinam non novum ſcepticismum, et dogmatismum ſtabilirent! — Quam triſtem eſſe oportet animi conditionem illius, qui novæ hujus ſapientiæ præcepta ſequitur! — Aut forte nobis quisquam eorum perſuadeat, ſe longe meliorem effectum eſſe doctrina hac critica, quam evangelica? — Numne altisonis ſuis et hyperſtoicis ſententiis ad eam, quam commendat morum vitæque ſanctitatem eluctabitur? — num fortiori ani-

mo perferet vitæ hujus ærumnas, et calamitates? — num ſola ſua ratione practica adjutus et animatus arduis vocationis ſuæ officiis ſatisfaciet, et eadem duce inoffenso pede in via veræ juſtitiæ ambulabit? — Num inter perſecutionum tempeſtates, inter impendentia undequaque pericula, inter omnia adverſitatum genera, eadem prorſus, qua S. Apoſtolus Paulus, interna animi cum perſuaſione exclamabit: *repletus ſum conſolatione! ſuperabundo gaudio in omni tribulatione!* — Num eadem, qua omnes ſinceri Jeſu Chriſti cultores, animi fortitudine mortem proſpiciet, et eadem, qua illi, ſpe immortalitatis longe maxime confirmatus grande æternitatis iter ingredietur? Quid? eosdem prorſus effectus a contraria cauſa quisquam exſpectet? efficaciorem ad bene vivendum, et placide moriendum quisquam nobis perſuadeat eam doctrinam eſſe, quæ omnia bene vivendi, et placide moriendi neceſſaria nobis ſubſidia rapit, quam doctrinam evangelicam quæ ſola hæc nobis ſubſidia præbet? — Credat hæc

et

et alia istiusmodi, qui credere potest! ego me hæc credere non posse, palam profiteor. Et sunt nihilominus, qui rem omnium maxime incredibilem nobis persuadere velint! — Mihi ad novæ doctrinæ fautores accommodari posse videntur ea, quæ S. Apostolus Paulus in 2. ad Timoth. epist. 2. Cap. de quibusdam, qui tunc temporis grassabantur, errorum auctoribus scribit. *Sermo*, inquit, *eorum, ut cancer serpit — ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui a veritate exciderunt, et subverterunt quorundam fidem.* O AA. quot istiusmodi *Hymenæos et Philetos* hac nostra ætate numerare licet, quibus satis non est, se ipsos *a veritate excidisse, et fidei naufragium* fecisse; sed toti quanti insuper sunt *in fide* aliorum *subvertenda*, et erroribus suis propagandis. Ad Timothei, et primævorum fidelium animos confirmandos et erigendos, ne inter errorum grassantium progressus de veritatis victoria et triumpho desperarent, subjungit Apostolus: *sed firmum fundamentum Dei stat.* Hoc insigne prorsus

Apo-

Apoſtoli effatum etiam et nos inter tot noſtræ ætatis errores identidem recogitemus, ne, ut verbis ejusdem Apoſtoli in alia epiſtola utar, *animis deficientes*, de cauſa noſtræ fidei actum eſſe, et conclamatum exiſtimemus. Ita eſt AA. *firmum fundamentum Dei ſtat.* *Nos enim*, ut idem Apoſtolus in Epiſt. ad Epheſ. 2. Cap. docet: *ſuperædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum, et Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Stabit ædificium, quod tanto innititur fundamento, nec ullis unquam artificioſiſſimis licet ingenii humani machinis conquaſſabitur. Disponente Dei providentia prodibit e certamine victrix veritas cum majori gloria. Quemadmodum ſol nubibus ſæpe involvitur, et dispulſis nubibus cum ampliori ſplendore effulget, ita veritas errorum veluti nubibus obumbratur, ut ex errorum nubibus tanto ſplendidius effulgeat. Intereſt aliud divi Pauli monitum, quod Timotheo ſuo impertivit, recogitare — Poſtquam Apoſtolus in 2. ad Timoth. epiſtola 3. Cap. præmonuit: *quod in noviſſi-*

mis

mis diebus instabunt tempora periculosa; postquam prædixit *homines* futuros, *qui resistunt veritati — homines corrupti mente, reprobi circa fidem* — subjungit: *sed ultra non proficient — insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Nunc autem, quod sequitur, velim quisque nostrum ad se spectare existimet. *Tu vero permane in iis, quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris. Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Hoc, quæso, Apostoli monitum exsequamur, et veritati Dei, *quæ manet in æternum,* constanter adhæreamus. Qui in Christo, et per Christum nos beate aliquando morituros speramus, nunc, monente itidem Apostolo, *Christo vivamus,* et *Christum induamus,* fidemque nostram vera vitæ sanctitate, ac moribus christianis exprimamus. Ne unquam coram mundi hujus sapientibus pudori nobis ducamus, Jesum Christum profiteri; sed multo magis cum Apostolo, hac Jesu Christi professione gloriemur, memores præclari dicti

S. Augustini: *ubi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.* Effatum S. Cypriani identidem recogitemus: *quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit?* — Ne nos moveant adversariorum ingeniosa licet dicteria! sed ut alius quidam S. Doctor jubet, *displiceamus his, quibus displicet Christus!* — Præferant alii novos errores antiquæ veritati. Nos ex adverso nulla quorumvis errorum novitate nos ab antiquæ veritatis christianæ via abduci unquam patiamur. Veritas hæc per tantam sæculorum seriem omni armorum genere petita, et impugnata, nunquam superari potuit, nunquam superari poterit. De illa enim confidenter asseverare, et dicere licet: *hæc veritatis gloria: stat victrix post certamina! sunt vana omnium quorumvis hostium adversus hanc molimina. Æterno namque solida stat fundamento inclyta, et impotentium vanorum hominum non metuit conamina. Cum mundo nunc si tartara nefanda pangunt fœdera, repellet impetum junctarum virium hæc, victrix vinci nescia. Sic Dei per*

con-

consilia stat veritas in sæcula. Potitur — exitum en tot certaminum! — triumpho, et victoria. *

* e Synopsi Meditationum.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0016430

